R. P. Claudius Franciſcus Meneſtrier Societatis J E S U Bibliothecam Collegii Lugdunenſis S S. Trinitatis pio hoc munere locupletavit.

27098
Hé 3123

#

Barthelin

(Gaspard)

801845

CASPARI BARTHOLINI

THOM. F.


Colleg. Lugd. SS. Trinit. Soc. Jesu Cat. Ins.

INAVRIBVS VETERVM SYNTAGMA.

Accedit Mantiſſa ex
THOMÆ BARTHOLINI
Miſcellaneis Medicis.
DE ANNVLIS NARIVM.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

EX BIBLIOTH. PUB. COLLEG. LUGDUN.



AMST

Sumptibus

M

Parenti Venerando

D. D. THOMÆ BARTHOLINO

Dn. de Hoogeſtedt

Archiatro Regio

Decano atque Profeſſori Medicinæ Honorario

CASPARVS BARTHOLINVS FILIVS

Salutem & obſequium.

INnotuit nuper Orbi affectus verè Paternus, quem infinitis aliis nominibus tantum agnoſco, ut majorem

VILLE DE LYON

nec fingere nec optare à Parente poſſem Filius. Idem ille tuus Paternus animus, qui domi filium à teneris unguiculis in ſinu dulciſſimo educavit, qui deinde Minervæ gremio impoſuit alendumque & inſtituendum commiſit, qui denique ſemper nobilem flammam ingeneravit, quæ adhuc in pectore creſcit; Idem, inquam, ille etiam apud exteros Filium comitatur, ut, domi an foris cumulatior ſit affectus, neſciam. Ego cum illum nunquam ſatis demereri poſſim, nunquam tamen deero, quin omnes ingenii vi-

res in id conferam, ut dignus tali Parente videar. Nam ſanè non minimam felicitatis partem reputo, quod tot Paternæ virtutis imagines, tot habeam monumenta, quæ animum, non invitum, ad præclara trahent. Nec illum Tibi, chariſſime Parens, incognitum eſſe credo, qui ad domeſtica ſe componens exempla, nullis unquam vanæ voluptatis illecebris irretiri poteſt. Cœpi diligentiæ præteritæ fructus Orbi exhibere, ut ſciat quid in cunis etiam valeant Deorum filii. Quamvis noverim avara Parentum

vota eſſe, quæ nulla filiorum bona ſatis perfecta judicant, non diſplicere tamen Tibi, Venerande Parens, ſpero has primitias, quas, ſpe poſthac majorum additâ, Paterno Nomini in debitæ venerationis monumentum inſcribo, & eo offero obſequio, quod filium decet. Nequicquam autem his ex Antiquitate petitis *Inauribus*, corruſcum candidi Tui vultus ſenium exornare conor, quod iis fulget ornamentis, quæ nec interitum timent, nec ſqualorem metuunt. Deploranda enim ſunt fata Antiquitatis, quod

in memoria Poſterorum jam penè exoleſcat, & cum *Inauribus* noſtris, quas tamen hic vindicavimus, maxima Antiquitatis pars vel planè in obſcuro jaceat, vel ad triſte ſenium demigret, vel ad ignobilem ſenſim devolvatur oblivionem. At impar ſors Nominis tui, Parens optime, nam, quanquam venerandi jam ſenii rugas vultus induxerit, in ore tamen populi ſemper vireſcet fama, quâ totus Orbis perſonabit, poſterique olim in tota Antiquitate majora nec ſcient nec mirabuntur. Plura non addo, ne nimio a-

more peccaſſe videar in iis, quæ dictitat affectus. Voto concludam, ut feliciter porro & diu vivas Orbi, Tuis, Patriæ; ut illa tandem reduci lætos Parentum mihi reddat amplexus. Vale.

Lugduni Batavorum Calend. Maji. Anno renatæ Salutis CIↃ IↃC LXXV.

CASPARUS BARTHOLINUS TH. F.

Benevolo Lectori & Antiquitatis Studioſo.

TRahit me venerandæ Vetuſtatis amor & æſtimatio ad ea, quæ ſub Antiquitatis nomine in publicum protrudo. Pauci enim ſunt, quos hæc cura occupavit & ſtudium, vel quia judicium de iis quæ pene incognita ad nos transmiſit ævi vetuſtas, quaſi tenebris & multa caligine obſitis ferre noluerunt; vel quia Antiquitatis contemptu

ea neglexerunt, quæ nobis in meliorem literarum ſortem genitis, expendenda relicta pro virili capeßimus. Illorum ſordidam mentem & cæleſtium inanem nemo non deteſtetur, qui humo levatus altitudinem rerum Antiquarum capaci animo aſſequutus eſt. Noſtram verò ex æquo metimur felicitatem, quam cælo debemus ex hac rei Antiquariæ ſpeculatione quamvis inviſibili tantùm, non ita tamen obſcura, quin ex marmoribus & ſaxis, quibus hactenus mors denegata, ad rei ſupplementum haurire poßimus ea, quæ ex mutis librorum monumentis, non

ſatis

ſatis pro rei dignitate & ſplendore capere potuimus. Intereſt enim Reipublicæ Literariæ & currentis ſeculi gloriæ, ne ea abſcondita ulterius de neglectu & contemptu noſtro querantur, quæ cum ſuo ſitu & rubigine hactenus infeliciter colluctata fuêre. In illam enim Seculi felicitatem delati ſumus, qua magnis honos habetur, & inter alia etiam Antiquitati ſua debetur laus atque Majeſtas digno admirationis & ſcrutinii elogio. Et nos qui ſapere volumus, ad Macrobii *præſcriptum, Vetuſtatem pari cultu adoramus, ſine tamen verborum aut rituum ſu-*

perſtitione, quam Paganis relinquimus. Ab illis quippe ſingulis corporis membris ornamenta propria dicata ſunt & omnibus à capite ad calcem partibus ſua appenſa. Coronæ capiti aſſignatæ, & alia, eaque varia, ex floribus, pretioſiſque gemmis crinibus intertexta ornamenta. Narium annulis præivêre Hebræi, & Aurium ornamenta ad innumeras derivata gentes. Vicinum collum aurum circumdedit, & ex humeris demiſſa ornamenta ad carpos tranſiêre, & ad ultimos ſerpſêre digitos. Nec venter à Zona liber, nec à vinculis pedes. Infimis ſoleis

leis acceſſit Lunula, ut non minori cultu micuerit extremus articulus, quàm ſummus apex. Quæ quamvis prima ſpecie non niſi meras redolent ſuperſtitiones, his tamen interdum majora involvuntur myſteria. Unde tot Doctiorum ſcripta cum applauſu hæc implevit materia. In coronis Paſchalius *&* Meurſius *innumeras papyri inſumſêre facies. Tortiles circulos & colli monilia feliciter adumbravit* Schefferus. *Armorum armillas, virias manuum, carpi pericarpia expreſſit* Th. Bartholinus *Parens. Ad annulos tranſiit cura* Kirch-

manni, Longi, Kentmanni, Liceti, *& tot calamos unius articuli ſplendor fatigavit. Ego quod erat relictum, quia nec Antiquarium ſummum, nec in his ſacris me hoſpitem profiteor,* INAVRES *expolivi, & è tenebris evocatis verum Antiquitatis ſplendorem & invidendum reddidi cultum. Nec ullos Authorum, è quorum fontibus hæc rectiùs petuntur, præterii, nec rudera marmorum, quæ cum viva certant imagine, inconſulta reliqui. Crinium capreolos & cincinnos, Capitis Tutulos affini addidi materiæ; Annulos Narium*

rium ex Parente *illuſtravi*, *&* *Acum crinalem utramque diligentius excuſſi. Tu*, *Lector*, Inaures *has in Armarium tuum repone*, *ſi videantur inter alia modo memorata mereri Antiquitatis Sacrarium*; *Et mihi fave*, *qui*, *ſi hæc arriſerint*, *majora poſthac ſpondeo. Vale.*

Elen-

ELENCHVS CAPITVM.

CAP. I. *Inaurium notio & Etymologia varia.*

II. *Inaurium forma, varietas, compages & precium. Vbi & de Acu Crinali.*

III. *Inaurium Materia.*

IV. *Inaurium Faber.*

V. *Inaures quas corporis partes exornarint?*

VI. *Inaures utrique ſexui familiares.*

VII. *Inaures ob quas cauſas uſurpatæ, Earumque varius apud varios uſus.*

VIII. *Inaures quibus Gentibus fuerint in uſu.*

IX. *Inaures Brutorum Animalium.*

X. *Inauribus ſtatuæ Deorum Dearumque exornatæ. Eædem ſepulchris illatæ.*

CAS-

CASPARI BARTHOLINI DE INAVRIBVS VETERVM SYNTAGMA.

CAPVT I.

Inaurium notio & Etymologia varia.

INauris, ornamentum aurium, cujus apud Veteres uſus, qui tamen hodieque apud alios non planè abolevit. Denominationem traxit à parte cui ornandæ ut plurimum deſtinata

BIBLIOTH. LYON

nata. Nam cum aliis faciei partibus, ut naſo, labiis, fronti, &c. eam appenſam legimus vel interpretamur, impropriam illi denominationem attribuimus, utpote cui Latini veteres repugnant. Vera Inaurium notio apud *Iſidorum*. Quippe qui earum convenientiſſimam etymologiam deſignat Origin. Lib. XIX. cap. 31. Inaures *ab aurium foraminibus nuncupatæ, quibus pretioſa genera lapidum dependuntur. Harum uſus in Græcia: puellæ utraque aure, pueri tantum dextra gerebant.* Quibus verbis apprimè ornamenti genus exprimit quo utebantur, dum foratis auribus inſerebant tam gemmas, quam id genus alia. Quo alludit *Tertullianus* Lib. de habit. Muliebr. *Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* Sed idem clarius innuit *Cyprianus* de pudic. & habit. Virginum: *Ut poſtea,* inquit, *de*

Inauris unde dicta?

de aurium cicatricibus & caver-nis, pretioſa grana dependeant. Quare ſimilem ſecutus *Inaurium* etymologiam, eodem collinit *Iuvenalis* Sat. I. Aurium feneſtræ quid?

--- molles quod in aure feneſtra.

Et *Tertullianus* de Pallio: *Aurem foratu effœminatus.* Ita ille ſignificaſſe videtur *inaures*, quæ ex perforatarum aurium cicatricibus & cavernis dependebant, unde & nominis etymon ac origo.

Non uno tamen nomine has *Inaures* indigitatas invenio tam apud Græcos ſapientes, & Hebræos veteres, quam Romanæ linguæ & Latii elegantioris ſcriptores, ut hujus nominis non pauca ſint ſynonyma. Ita de Aurium quodam ornamento loquitur *Iſidorus* Origin. L. XVI. cap. 7. quod colore viridi, ſed decenti, indeque *Callaica* appellatum deſcribit: *Callaica colore viridis,* Inaurium ſynonyma. Callaica quid?

ſed

ſed patens & nimis craſſa, nihil jucundius aurium decens, unde & appellata.

Stalagmium qualis inauris? *Stalagmium* etiam pro *Inauribus* ſumptum, cum σαλαγμοῦ ſive guttæ figuram haberet baca, quæ in genere hoc *inaurium* pendula erat. Ita enim *Cæcilius* antiquus Poëta apud *Feſtum:*

> *Ex aure ejus* ſtalagmium *domi habeo.*

Eadem *Inaurium* Notio *Plauto* placuit, in Menæchm. Act. III. Scen. 3.

> *Hac palla & ſpinther ſaxo referantur ſimul.*
> A N. *Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi*
> *Faciundas pondo duûm nummûm* ſtalagmia,
> *Ut te libenter videam, cum ad nos veneris.*
> M E. *Fiat. cedo aurum, ego manupretium dabo.*

Hic

Hic tamen alii pro *ſtalagmia* legunt *ſpatalia*. Et eam lectionem defendit *Parens* Venerandus, Schedio de Armill. §. VII. quia *inaures* præceſſerunt, ideoque aliud ornamentum hoc nomine indigitari. Plautus caſtigatus.

Inaures etiam alio nomine *Elenchos* appellabant, inprimis eas in quibus proceriores margaritæ ad modum piræ quaſi ex aliquo capite protrahebantur in turbinatam faſtigiatamque piramidem, ut eas deſcribit *Plinius* Natur. Hiſtor. Lib. IX. cap. 35. de Margaritis loquens: *Summa laus coloris eſt exaluminatos vocari, & procerioribus ſua gratia eſt,* Elenchos *appellant faſtigiata longitudine alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes, hos digitis ſuſpendere, ac binos & ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Nec alia mente *Iuvenalis* Satyr. VI. eoſdem *elenchos* auribus Elenchi inaures.

ribus

ribus extentis commiſſos dicit:

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil,
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

Elenchus pro titulo.

In quæ verba in gloſſ. antiq. vetus *Scholiaſtes: Vniones, margaritas oblongas, magnarum gemmarum* elenchos, *quos & titulatos appellant.* Apud Magnum *Salmaſium* de modo Vſurar. pag. 670. ἔλεγχος pro *titulo* dicitur, quo quis convictus veluti probatur. Quia autem idem eſſet cum titulo, vel elogio, quo fama alicujus ſive bona, ſive mala traduceretur, ſed præcipue mala, quod στηλογραφίαν Græci vocant, ex eo & pro genere *Inaurium* apud mulieres tranſiit oblongo & rotundo, uti ſunt tituli ſive columellæ, quas Græci στήλας appellant.

lant. Notat itaque *Salmaſius titulos* vel *titulatos* vocatas hujuſmodi *inaures* titulis forma ſimiles, eorumque mentionem in Iure occurrere monet. *Pignorius* tamen erudito de Servis Commentario *tutulatos* mavult, quoniam *Tutulus* Pontificalis cujus imago cernitur in denariis gentis Iuliæ, non admodum diſſimilis *elencho*, fuitque metali figura, ut inquit *Feſtus*. Quod ex ſubjecto ſchemate veterum nummorum melius patebit:

Tituli vel Titulati inaures.

Tituli forma.

Et certe hujus denominationis veſtigia haud obſcura deprehenduntur in Inſcriptione antiqua apud *Gruterum* pag. DLXXIX. n. 5. quæ Romæ extare dicitur in Muſeo Carpenſi:

APONIAE. SVCCESSAE
A. TVTVL. ORNATR.
C. BATONIVS. EPIGONVS
ATRIENSIS

Etiam


PARENS PATRIAE CAESAR
LEPIDVS · IMP · P · M · PON · IMP · CAESAR

Etiam *Tutuli* vocabantur capilli, quos matres familias Romanæ convolutos in capite geſtabant, ut *Varro* Lib. VI. de L.L. Exſtruebant enim in altitudinem multis gradibus & ſpiris cumulatam comam, quod *Tertullianus* Lib. de Pall. *Comam ſtruere* dixit. Idemq; indicat Iuv.

Tutuli pro capillis.

- Tot adhuc compagibus altum
Ædificat caput.

Comam ſtruere quid?

Non ineleganter *Lucianus* ἐπανάστασιν τριχῶν vocat. Eandemque capillorum ſtruem ſatis exprimit *Lucanus:*

Turritaque gerens frontem matrona coronâ.

Apprimè *Papinius ſuggeſtum comæ memorat:*

Suggeſtus comæ.

- Celſos procul aſpice frontis honores
Suggeſtumque comæ.

Spiras alii vocabant, unde *ſpiroſus capillus Apuleio* Lib. II: *Hieronimus ad* Marcellam: *quæ capil-*

Spiroſus capillus unde?

capillis alienis verticem ſtruunt. Quare concinnè admodum *Tertullian.* de cultu fœminarum: *Fruſtra laboratis ornatæ videri, fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis.*

Imo eò uſque ſutilium atque textilium capillamentorum enormitates proceſſêre, ut *nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro, ſuggeſtum capillum* dixerit *Tertullianus.* Et tale quid etiam confirmant veteres nummi, in quibus mulierum Auguſtarum imagines obſervamus. In rei illuſtrationem adferam ex multis duos nummos, FAVSTINÆ unum. alterum SABINÆ.

Atque ut monuimus hujuſmodi capillorum cumulationes *Tutuli* dicti, teſte *Varrone:* Tulati *dicti hi qui in ſacris, in capitibus habere ſolent, ut metam, id*

tutu-


PLOTI NAE AVG
SABINA AVGVSTA HADRIANI AVG.P.P.

tutulus appellabatur ab eo quod matres familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt tutulos. Non diſſentit *Tertullianus* qui de Pallio: *Tunc certiſſime ſupra omnes exuvias anguſta veſtis, ſuperque omnes apices ac tutulos ſacer ſuggeſtus deducit oculos.* Vnde etiam *Tutulatus. Ennius:*

Tutulatus.

Libaque fictores, argeos & tutulatos.

Inauris apud Hebræos unde.

Non minus diverſam *Inaurium* Etymologiam apud veteres Ebræos deprehendo. Inaures, הַלְּחָשִׁים *Mercerus* deducit à לַחַשׁ, quod ſignificat *muſſitationem*, quod auris ornamentum ſit, cujus eſt audire muſſitationem & incantationem. Quare alii etiam putarunt ſignificatum fuiſſe hoc *inaurium nomine*: oratoriam artem ad demulcendas aures adhiberi, vel fœminas non tantum ornaſſe verum etiam his præmuniviſſe

niviſſe aures adverſus incantatorum præſtigias. Quid de his & vero hujus etymo ſtatuendum ſit, meretur audiri *Merceres*, qui ita:
Eſai. III. verſ. 19. הַלְחָשִׁים *inau-* „
res. *R. Abraham* in comment. „
ſcribit fuiſſe ſcripturas in auro & „
argento per modum לְחִישָׁה in- „
cantationis [aut orationis occul- „
tæ]. Et quia verſus ſequens men- „
tionem facit expreſſam de Inau- „
ribus ubi dicitur, Et annulos „
וְנִזְמֵי הָאַף & inaures: non vide- „
tur quod ſignificet *Inaures*, ut „
exponit *R. Dav.* in Comment. „
dicens quod ſint ornamenta quæ „
mulieres ſuſpendunt in auribus „
ſuis: cui adſtipulari videtur „
Targhum Jonathan, qui vertit „
וְחַלִישְׁתָא *&* *inaures.* Vel dicen- „
dum quod נִזְמֵי הָאַף non ſunt *in-* „
aures neque etiam נְזָמִים, niſi „
abſolutè ponatur, ſed quando ad- „
ditur הָאַף *naſi*, aut, narium, ſi- „
gnificat ornamenta *narium*. unde „

„ Hieron. vertit , *& gemmas in* „ *fronte pendentes* : quæ videlicet „ uſque ad nares deſcendebant.

Inauris impudica ſignificatio vindicata.

Præterea monet *Mercerus* quod נֶזֶם , *inauris*, quidam recentiorum per literarum metatheſin revocent ad זָנָה : quaſi ſit monile, quod palam in fronte auribus vel naribus proſtat ad emerendam gratiam : Cœterum nullo jure illud ab impudico verbo deduci, cum ſanctiſſimis etiam fœminis in ornamentum honeſtum ceſſerit.

Inauri quaſi roula.

A rotunditate etiam, quaſi rotulam vel ſphærulam referat, עָגִיל, *inauris* dicta, veluti teres quoddam ornamentum, ut Numerorum XXXI. 50. Et apud *R. Dav.* in Lib. Radicum notante *Mercero*. Sic & apud *Pollucem* βοτρύδια pro *inaure*. Aurium vero fuiſſe ornamentum , liquet ex Ezech. cap. XVI. verſ. 12 : *Et ornavi te ornamento & dedi inaurem*

rem ſuper os tuum, & circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo. Ex circulis autem iſtis auri perforatæ inſertis margaritæ dependebant. *Hieronymus* tamen Numer. XXXI. 50. ſed repugnante ipſo textus ſenſu, *dextralia* vertit: Plura de his vide *Joh. Rhod.* Diſſert. de Acia & *Parentem* de Morbis Biblicis cap. de Annulis Narium, quod ea propter huic Syntagmati velut purpuræ præclaram laciniam in fine adjicio. Hieronymi error.

Eadem denominatione quâ à Latinis *Inauris*, à Græcis Ἐνώτια dicta, vel promiſcue etiam Ἐνώδιον, unde ἐνώδεις *Heſych.* ex *Sophoclis* Captivis, quod exponit ἐνωδίοις. Significat autem eadem originatione, quâ Latinorum, quaſi ornamentum quoddam quod auribus perforatis inſerebatur. *Pollux* Lib. II. cap. 4. §. 17. Ἐνώτια, κόσμος ἐν τοῖς ὠσὶν ἃ καὶ

Ἐνώτια vel Ἐνώδιον promiſcuè.

Quid ſignificet ?

ἐλλόβια, καὶ ἑλικτῆρες. Et ab eodem Lib. V. cap. 16. in mundo muliebri inter *inaures* ἐνώτια recenſentur. Dictas autem ab auribus clariſſimè innuit *Euſtathius* pag. 976. λοβοὶ δὲ τὰ τοῦ ὠτὸς ἄκρα, ἔνθα ἐνείρεται τὸ ἐνώτιον. διὸ καὶ ἐλλόβια λέγονται ἀπὸ τοῦ λοβοῦ, ὡς ἀπὸ τοῦ ὠτὸς ἐνώτια. Et apud *Svidam*, ἐνωτίοις ἐκ μαργάρων κεκοσμημένοις δωρεῖται αὐτόν. Imo uſitatiſſimum apud Græcos per ἐνώτιον *inaurem* exprimere, ut paſſim legimus. *Athenæus* Lib. VIII. Deipnoſ. ex Agide:

Ἐνώτιον pro inauri.

> Θεσμὸν ὂν ἢ ζώνην ἢ ἐνώτιον ἢ τι
> τοιοῦτον
> Σύσσημον.

> *Faſcia vel cinctu, vel inaure, vel*
> *hujusmodi re quapiam*
> *Signum dato nobis.*

Hæc autem ἐνώτια ex auribus fœminarum dependiſſe adeoque idem, quod *Inauris* Latinorum, orna-

ornamentum ſignificaſſe, nemo clarior *Æliano* evincit, qui Lib. I. Var. Hiſt. cap. 18. de antiquis mulieribus: Ἐκ δὲ τῶν ὤτων ἀνῆπτον ἐνώτια μακρὰ ἐπεκρέμαντο. *Ex auribus longas inaures dependentes habebant.*

Cœterum quemadmodum apud Latinos *Inauris* modo per *ſtalagmium* modo per *elenchos* ſignificata, ita etiam Græcis hoc aurium ornamentum non per ſolum ἐνώτιον dictum, ſed varia hujus apud Græcos ſynomyma atque denominationes vel à gentibus diverſis vel à forma variante recenſet *Jul. Pollux* Onomaſt. Lib. V. cap. 16. ubi de nominibus mundi muliebris agit: περὶ δὲ τοῖς ὠσίν· ἕρματα, διόπας, ἐλλόβια, ἐνώτια, ἕλικας, ἑλικτῆρας, σίτλας κατὰ τοὺς Δωριέας· καθὰ δὲ τοὺς Αἰολέας, ἀρπάλα. ἐκαλεῖτο δὲ παρὰ τοῖς κωμῳδοῖς, καὶ ἐγλαστρίδια, καὶ στροβύλια, καὶ βοτρύδια, καὶ βλάστα, καὶ καρυα-

Inauris apud Græcos Synonyma.

ῥυαλίδες, καὶ ὑποκόμπια, καὶ κεγ-ζυρίδες, καὶ ἔντρεφον, καὶ τρίπυες. δῆλον ὡς ἀπὸ τῶν σχημάτων, θεμένων αὐτῶν τοῖς ἐνωτίοις τὰς προσηγορίας: ὥσπερ καὶ Ὅμηρος τρίγληνα ἕμματα ὠνόμασεν, ὡς τριῶν εἴδωλα κορῶν ἔχοντα. Multæ itaque ſive à Gentibus ſive à forma *inaurium* ortæ apud Græcos nominis differentiæ, de quibus nos ſigillatim paucis.

Et ut ἐνώτη & ἐνώτιον, quæ apud veteres abſque differentia notavimus reperiri, mittamus, Ἀμφωτὶς in vulgatis Lexicis exponitur etiam *Inauris*, aurium ornamentum, cujus tamen ſignificationis exemplum deſiderat *Henr. Stephanus*. Significat enim tegmen auris vel munimentum, quod habent athletæ circa aures, ut teſtis eſt *Pauſanias*, referente *Euſtathio* pag. 1324.

Ἀμφωτὶς inauris, quid proprie?

Præterea quoniam λόβος pars erat τοῦ ὠτὸς ἐλλόβια λέγονται ἀπὸ τοῦ λοβοῦ, ὡς ἀπὸ τοῦ ὠτὸς ἐνώτια, ut *Euſtathius*

thius pag. 976. Solebant enim ex ima auriculæ parte ſuſpendere annulos & gemmas ornatus cauſſa, atque ideo ἐλλόβιον dicta *inauris* illa vel ornamentum, quod inſerebatur τοῖς λοβοῖς τῶν ὤτων. *Heſychius*: ἐλλόβια, ἐνώτια. Meminit ejus *Lucianus* in Lexiph. ubi Chereæ τοῦ χρυσοτέκτονος hæc verba: λειρόν [ubi potius λῃρόν] τινα ἐκρέγλην καὶ ἐλλόβια καὶ πέδας τῇ θογαθεὶ τῇ ἐμῇ. Apud Pollucem etiam ſuperius in mundo muliebri pro *inaure*, ἐλλόβια habemus. Cæterum interdum ita confundebantur ἐλλόβια & ἐνώτια, ut pro iisdem *inauribus* modo hoc, modo illud promiſcuè dictum ſit. Quod notandum ex *Svida*, apud quem modo ἐνώτια dicuntur quæ ante ἐλλόβια, ubi Trajanus ad Augari filium ita: Μέμφομαί σοι ὅτι μὴ πρόσθεν ἧκες παρ' ἐμὲ συστρατεύσων. καὶ ἐπὶ τῷδε ἂν ἡδέως τῶν ἐλλοβίων τούτων τὸ ἕτερόν σου ἀποσπάσαιμι.

ἐλλόβιον unde?

ἐλλόβιον & ἐνώπιον idem.

σαιμι· ἐφαψάμενος ἅμα τοῦ ὠτὸς τοῦ ἑτέρου, τῷ δὲ ἦν ἄμφω τὰ ὦτα τετρημένα, καὶ ἐξ ἀμφοῖν χρυσᾶ ἐνώτια ἐξηρτημένα. i. e. *De te conqueror, quod ad me non ante veneris, mecum militaturus, & propterea alterum horum ornamentorum ex aure pendentium tibi libenter avellerem, ſimul attrectans alteram aurem. Illi vero ambæ aures erant perforatæ & ex ambabus inaures dependebant.*

ἐλικτὴρ pro inaure & armilla. Etiam Ἑλικτὴρ per *inaures* interpretari poſſe *Polluci* crediderim, cui ſupra in mundo muliebri ἑλικτῆρες ſunt ἐνώτια, κόσμος ἐν τοῖς ὠσὶν. Quamvis repugnet *Budæus*, qui ex *Schol.* aliquo ἑλικτὴρ de *Armilla* interpretatur: ἑλικτῆρας ἔνιοι καλοῦσι ψέλλια ἢ κόσμον τῆς χειρὸς.

Ἕρμα inauris. Sic & ἕρμα pro *inaure* apud Græcos uſitatum. Nam præterquam quod *Jul. Pollux* meminerit inter ea quæ περὶ τοῖς ὠσὶν, occur-



DE LA VILLE
LYON
1893

Pag. 21.



occurrit etiam apud *Homerum* Odyſſ. Σ. v. 298.

Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν. i. e.

Inaures autem Eurydamanti duo ſervi portaverunt.

Cœterum auribus appropriatum hoc fuiſſe, quonia̅m ornatus cauſa iis perforatis innectebatur, clarius patet apud *Homerum* Iliad. ξ. v. 182. ubi inter ornatus Junonis quibus Jovem decipere conatur:

Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν,
Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι.

Cinxit autem cingulum centum fimbriis concinnatum:
Ac ſane inaures appoſuit bene perforatis auriculis.

Vbi *Euſtathius* veram vocabuli etymologiam depromens, exponit τὰ τοῖς ὠτίοις ἐνειρόμενα κόσμια.

Ἕλικες inaures, Ad *inaures* Ἕλικας etiam referri perſuademur à *Polluce*, qui loco ſuperiori, inter plurimas inaurium apud Græcos denominationum varietates ἕλικας ponit. Reperio etiam apud *Homerum* Iliad. Σ. v. 401.

Πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικάς τε καὶ ὅρμους.

vel armillæ, vel Torques. Sed ad varios ſenſus trahunt interpretes, ἕλικας per *armillas* explicat *Spondanus*, *Torques* vertit *Camerarius*, quod tamen ſuperfluum eſſet, quia ſequitur ſtatim ὅρμους, quod torques vel monile denotare nemo dubitat. Nos ἕλικας per *inaures* haud improprie exponemus, cum à noſtra parte habeamus veterum non paucos. Non inficiamur tamen & armillas ſignificare poſſe, cum id ſvadeat *Heſychius*, qui ſub ἕλικες non ſolas *inaures* comprehendit, ſed & armillas & annulos, ita ille: Ἕλικες, ἢ ἐνώ-

ἐνώτια, ἢ ψέλλια, ἢ δακτύλιοι, ἢ ἐλίγματα.

Inter *inaures* recte recenſet *Pollux* στρεβύλια, quæ prætercam, quia de iis infra. Στρεβύλια.

Βοτρύδια etiam huic ordini inſerit memoratus *Pollux* loco toties allegato, ut hoc etiam nomine *inaures* apud Græcos vocitatas conſtet, video etiam βότρυν inter alia ad hujus cultus apparatum pertinentia memorari ab *Ariſtophane* Θεσμοφοριαζούσαις. Βοτρύδια. Βότρυς quid?

> Διόπας, διάλιθον, πλάστραλα-
> κιον, βότρυν,
> Χλιδῶνα, περόνας, ἀμφιδέας, ὅρ-
> μους, πέδας.

Optimè *Heſychius* : Βοτρύδια, ἐνωτίων εἶδος, οἱ δὲ βότρυς Θεσμοφοριάζουσιν.

Σχολαρίκιον pro *inaure* apud *Svidam* in Etymologico: Ἐλλόβια, τὰ ἐνώτια, ὅ ἐστι χολαρίκια. Σχολαρίκιον pro inaure.

Pa-

Pariterque in Lexico *Cyrilli*: ἐνώτια, σχολαρίκια. Idemque conſentit *Moſchopulus* in Gloſſ. *Meurs.* Ἐνώτια. κόσμος γυναικεῖος. ἤγουν τὰ κοινῶς σχολαρίκια. Atque de his clariſſimè apud eundem *Meurſium* in Gloſſis ita *Conſtanſtantinus* de Adminiſtr. Imp. Προσέθηκεν εἰς τὰς τεσσαράκοντα λίτρας καὶ σχολαρίκια ζυγὴν μίαν, ἐκτιμηθεῖσαν λίτρας ἐννέα. Et mox: ἀνελάβετο τὰς τεσσαράκοντα λίτρας, καὶ τὴν ζυγὴν τὰ σχολαρίκια. Pro σχολαρίκια nonnulli etiam σκουλλαρίκια, ut *Achmes* in Introd. in Aſtrol. in Gloſſ. Meurs. δηλοῖ πάλιν κουκκία δερμέα, καὶ ἐγκόσμια, δακτυλίδια, βραχιάλια, σκουλλαρίκια, καὶ τὰ ὅμοια. Aliter adhuc in Turcogræcia *Cruſii* eſt: σκουλλαρίκα.

Vel σκουλλαρίκιον.

Pro *inauri* ſumitur τρίπος apud *Pollucem* Lib. v. cap. 16. Nec dubium à figura huic aurium ornamento impoſitam denomina-

Τρίπος pro inauri quare?

minationem eſſe, quemadmodum & ἕρματα τρίγληνα apud *Homerum* de quibus mox. Notat hoc *Cæl. Rhodiginus* Antiqu. Lection. Lib. VIII. cap. 15. cum tamen non diffiteatur alia etiam eſſe hujus verbi ſignificata: ut *Lactantio* Grammatt. *Tripos* eſt ſpecies lauri tribus radicibus, Apollini conſecrata propter triplicem vim divinationis. Tripodem etiam menſam dici, apud *Athæneum* videre eſt Lib. II. Deipnoſoph. Præcipue vero menſa Apollinis corio ſerpentis Pythonis tecta Tripos vocitatur.

Ε῞ρματα τρίγληνα unde?

Ultimo loco inter plurimas *Inaurium* notiones addit *Pollux*, nomina illis à forma indita, adducens *Homerum*, qui τρίγληνα ἕρματα ὀνόμασεν, ὡς τριῶν εἴδωλα κορῶν ἔχοντα, *tanquam trium pupillarum formam habentia.* Occurrit autem locus ille Homericus

cus Iliad. ξ. ubi inſuper ea auribus dicata egregie eluceſcit:

Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι,

Τρίγληνα, μορόεντα.

Idem etiam repetit & indigitat *Homerus* Iliad. Σ. v. 295.

Ἕρματα δ' εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν

Τρίγληνα, μορόεντα.

Ubi ſcholiorum brevium auctor exponit: τρίκοκκα κόσμα, τρίοφθαλμα, τρίκοκκα. Ita ut τρίγληνα ἕρματα ſint *inaures* triplicis pupillæ figuram habentes. Ita enim apud *Dioscoridem* Lib. 1. c. 176. genus meſpili quoddam dicitur τρίκοκκον, quod tria intus habeat oſſicula veluti grana. Inde tracta quoque ſimilitudine, notante *Henr. Stephano*, apud *Athenæum* Lib. VIII. ἡ ἑκάτη dicitur τρίγληνος, quæ aliàs τρίμορφος à Græcis atque à Latinis Poë-

Τρίκοκκα.

Hecates quare Triformis?

Poëtis Triformis dicitur, uti poſt *Horat. Triformem Hecaten* dixt *Seneca.* Ego arbitror Græcos per τρίγληνα idem dixiſſe, quod Latini *Tribaccam.* Ita enim apud *Petronium* Arbitr. leg. ex emend. *Lotichii* & *Hadr. Iunii*, qui pro *tibi baca*, reſtituunt: *Tribaca:* Petronius emendatus.

Quo margarita cara, Tribaca, *Indica?*
An ut matrona ornata phaleris pelagiis,
Tollat pedes.

Significat hic margaritam quæ tribus bacis unionibuſve inauri inſertis conſtabat: quippe binos ternoſque elenchos aurea bractea conjunctos auribus ſuſpenſos alibi notamus. Tribaca quid?

CAPUT II.

Inaurium forma, varietas compages & pretium. Ubi & de Acu crinali.


DE variis *Inaurium* tum formis tum differentiis earumque varietate partim egimus cap. 1. partim exponemus capite ſequente, cum earundem materia multiplex occurret. *Julius Pollux* in Onomaſtico pro diverſitate gentium atque varietate figurarum plurimas *Inaurium* differentias exhibet. Ita *inaures* quæ trium pupillarum formas habebant, ἕρματα τρίγληνα dicta ſunt, quemadmodum *Tribacæ* Latinis. Eadem etiam notione à forma deſumptâ τρίπος pro *inaure* apud *Pollucem*.

Inaurium differentiæ à forma.

Guttæ ſive σαλαγμῦ figuram habentes inaures eapropter *Stalagmia* dictæ. De his omnibus nos.

nos capite præcedente plenius egimus, nec aliud jam additùri.

Tantum cultus hujus inſtrumenta dabimus & ex *Laur. Pignorii* de Servis commentario varias *Inaurium* formas, quæ olim exſtabant Romæ apud Lælium Paſchalinum.



Vbi videtur *inauris* ærea gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata. Viſitur & *ſta-*

ſtalagmium è rudi ametyſto. *Inaures* præterea, altera ex auro tota, altera diſtincta margaritis, & quidem ad figuram noſtrarum recentium proxime accedens. Bini inſuper *elenchi*. Erat autem elenchus, lapillus ex genere margaritarum, quæ ex *inauribus* dependebant. *Paul.* de aur. & arg. leg. Lib. XXXII. §. 8. *Item cum inaures, in quibus duæ margaritæ, elenchi & ſmaragdi duo, legaſſet & poſtea elenchos detraxiſſet, & quæreretur an nihilominus detractis elenchis inaures deberentur, reſpondit deberi quamvis margaritæ detractæ ſint.* Ideoque apud *Iuvenalem.* Satyr. VI.

Elenchus ex inauribus dependebat.

Auribus extentis magnos commiſit elenchos.

Vetus *Schol.* interpretatur, uniones margaritas oblongas, magnarum gemmarum *elenchos*, quos & titulatos appellant. Noſque eos ſupra expoſuimus. In Libr. de

de Vaſculis apud *Bayſium* colligi videtur ex *Plinio elenchos* & cylindros in eo differre, quod *elenchi* ſint faſtigiatæ longitudinis, cylindri vero proceritatis æqualiter orbiculatæ. De iis autem *Plinius* Nat. Hiſtor. Lib. IX. cap. 35. ubi de margaritis loquitur: *Summa laus coloris eſt*, inquit, *exaluminatos vocari, & procerioribus ſua gratia eſt.* Elenchos *appellant faſtigiata longitudine, alabaſtrorum figura in pleniorem orbem deſinentes. Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Et mox: *Siquidem cum id fecere Crotalia appellant, ſeu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum.* Hic alabaſtri formam *elenchis* tributam videmus, quam etiam talem, ex eodem *Plinio* alibi probat *Fortunat. Schackius Myrothec. I. cap. 47. qualem hic exhibemus.*

Elenchi & cylindri quomodo differant.

Elenchi forma.

Plinius



Plinius enim de roſa Lib. XXI. cap. 4. agit, & roſeos corymbos his verbis deſcribit: *Germinat omnis* [roſa] *primo incluſa granato cortice, quo mox intumeſcente, & in virides alabaſtros faſtigiatos paulatim rubeſcens dehiſcit.* Vbi *Schackius* contendit *Plinium* roſeos corymbos non aliqua illorum ſimilitudine ad alabaſtritem lapidem, virides alabaſtros dixiſſe,

Roſei corymbi quare alabaſtri dicti.

ſe, ſed proportione earundem ad alabaſtrina vaſa & formam alabaſtri unguentarii. Pro qua alabaſtri forma ſtare etiam credit I*uvenalem* Satyr. VI. nuper citatum.

Apud Nonium *Marcellum* cap. VI. corruptus occurrit locus: *Ante auris modo ex ſobolibus parvuli intorti dimittebantur, ſed cincinni &c.* Quem qui corrigunt, ſuſpicionem nobis injiciunt, inaurium hic fieri mentionem ſed minuti generis, dum ita reponunt: *Ante inauris nodo crobyli parvuli dimittebantur ex cincinnis.* Vide *Scalig.* in Catalect. & *Palm.* I. Spicil. Erant autem cincinni capitis crines contorti & criſpati. Quare *Tertullianus* de cultu Fœminarum: Quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modo ſubſtrictis, modo relaxatis: modo ſuſcitatis modo eliſis? Aliæ geſtiunt in *cincinnis*

Non. Marcellus caſtigatus.

Cincinni quid?

C coër-

coërcere, aliæ ut vagi & volucres elabantur non bona ſimplicitate. Dicti ſunt & *cirri*. *Varro* Cato vel de liber. educandis; apud *Nonium*: *Ambraciæ primum puerilem capillum demptum, item cirros ad Apollinis ponere ſolent.* Iidem *cincinni* intorti, *Capreoli* dicuntur apud *Feſtum*. Quare *comam in gradus formare* dicitur apud *Sveton.* in Neron. cap. 41. Et *comam in gradus frangere* apud Quintil. Lib. 1. cap. 6. & *Senecam* Controv. 1. Muliebrem cultum imitatus Caligula his cincinnis atque anulis comam concinnaſſe dicitur. Meminit horum Cicero in Piſonem: *Erant illi compti capilli & madentes cincinnorum fimbriæ.* Et tale cincinnatum & bene compoſitum capillitium exhibet nobis Gemmæ delineatio apud *Tomaſinum* Lib. de Donariis ex Muſæo Cl. Equitis Fr. Gualdi ubi pri-

Cirri.

Capreoli quid?

Capillus cincinnatus.

privatum Matronarum votum cernitur hoc cultu.



Cœterum ne talis crinium compago laxius flueret & cincinni capillorum ſparſi diſſiparentur *acu crinali* inhibebant fœminæ, teſte *Iſidoro* Lib. XIX. Orig. cap. 31. Eundemque uſum acus agnoſcit *Hieronymus* in caput III. Eſaiæ. Et de aurea *acu Martialis* Lib. XIV. Epigramm. Acus crinalis.

Tenuia ne madidi violent bombycina crines,

Figat acus ſparſas, ſuſtineatque comas.

Ejus uſus. Iſta itaque acu omnes annuli vel cincinni comarum in capite jam ornato fixi continebantur, ut ordinem ſervarent. Quod præter dictos haud obſcurè innuit *Martialis* Lib. II. Epigr. 66.

Vnus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, inſerta non bene fixus acu.

Acus crinalis quare? Dicebaturque ab officio *acus crinalis.*

Prudentius Pſychomach.
-- *Crinalis acus*, redimicula, vittæ.

Ad differentiam ejus quæ *comptoria* vel *diſcriminalis* vocabatur, qua capillos tantum ante frontem dividebant. Sed *acus* crinalis ſemper ordini cincinnorum inſerviebat. *Apuleius* Metam.

tam. Lib. VIII: *Ad hunc modum vaticinata mulier, acu crinali capite deprompta, Thraſylli convulnerat tota lumina.* Ad acum hanc reſpexiſſe judico *Claudianum*, de Bello Gildonico v. 137.

-- reſciſſæ veſtes, & ſpicea paſſim
Serta jacent, lacera crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur.

A figura *curvum crinale* nominat *Ovidius* Metamorph. Lib. V. v. 52. Crinale curvum.

Ornabant aurata monilia collum,
Et madidos myrrha curvum crinale capillos.

Et fortaſſe parum aberit quin affirmare poſſim hanc eandem *acum* intellexiſſe *Claudianum*, qui in Prob. & Olyb. Conſul. v. 85.

Nam neque cæſariem crinali ſtringere cultu

Colla nec ornatu patitur mollire retorto.

Acus ex ebore. Crinales acus ex ebore quodammodo agnoſcere videtur *Claudianus* de Laud. Stilic. Lib. II. v. 256.

Cum ſpicis & dente comas illuſtris eburno.

Ex arundine. Ex arundine illas notat *Cæl. Rhodiginus* Lib. XVIII. Lection. Antiquar. cap. 10. Calaucidas, inquit, vocant *harundineas acus* firmandis *cincinnis*, aut velamentis comparatis, quarum vicem implent modo æreæ vel argenteæ aciculæ. At aureas puras & gemmatas *acus* crinales ex Pignorii de Serv. Commentario hic exhibeo.

Quæ leviter à ſummo inflexæ vel ad reponendos vel comendos crines. Nam alium & à priori diverſum uſum *acus* demonſtrat *Claudianus*:

Illi



Illi multiplices crinis ſinuatur
in orbes
Idalia diviſus acu.

Scilicet hac *acu*, quæ *diſcriminalis* dicta, mulieres crinem à fronte dividebant, & hoc diſcrimine à virginibus diſtinguebantur. Nam virgines cirratæ erant, mulieres autem crines à fronte diviſos gerebant. Quod ex *Tertulliano* haud obſcure elicitur, qui de velandis virginibus ita: *Simulque ſe mulieres intellexerunt, vertunt capillum, & acu laſciviore comam ſibi inſerunt* [id eſt: acum

Acus diſcriminalis.

Mulierum propria.

 comæ

comæ inſerunt] *crinibus à fronte diviſis, apertam profeſſæ mulieritatem.* Sed cur nuptarum comam haſtæ cuſpide diſcriminarent, vide *Plutarchum* in Quæſtion. Roman. Nimirum Celibaris haſta gladiatoris dicta eſt quæ in capite mortui ſtetit, quâ olim nova nupta ſiſymbrio prius coronata caput comere frontemque diſcriminare ſolebat, quod inde fortes ſe viros genituram ominaretur, aut quod ſponſi diſciplinæ ſe ſubolitam fateretur. De hac *Ovidius*:

Haſtæ cuſpide Nuptarum comæ diſcriminatæ, quare?

Nec tibi quæ cupidæ matura videbere matri
Comat virgineas haſta recurva comas.

Diſcerniculum quid?

Dicta & *acus* hæc diſcriminalis, *diſcerniculum.* Ita apud *Lucillium* Lib. XXX. Satyr.

Euplocamo digitis, diſcerniculumque capillo.

No-

Nonius interpretatur *acum quæ capillos mulierum ante frontem dividit.* Varro Lib. IV.

Diſcerniculum quo diſcernitur capillus.

Pro *acu* hac etiam *diſcriminale* dictum. Unde *Iſidorus*, *diſcriminalia* capitis mulierum ex eo vocata eſſe tradit, quod caput auro diſcernant. nam diſcriminare dividere dicitur. Itaque per diſcriminalia quæ caput auro diſcernunt, ſolùm intelligitur *acus* diſcriminalis aurea. Atque hæc eadem *Apuleio* etiam *comatoria* dicta eſt: *Acu comatoria malas pungebat.* Vbi perbellè nomini ſuo reſpondere videmus cum revera ſit acuta. Ita & *Ovidius* de *acu crinali*:

Diſcrimale pro acu.

Acus comatoria.

Acuta.

Et rapta brachia pungit acu.

Huic affinis forſan Cnaſon, *acus*, quâ mulieres ſcalpunt caput, apud *Feſtum*. Hac *acu* ſive crinali

Cnaſon quid ?

ſive diſcriminali, quæ aurea erat vel ad continendos vel diſtinguendos capillos, vix credide-

Calamiſtri uſus.

rim uſos eſſe veteres ad torquendos & vibrandos capillos, nam hic proprius uſus erat *calamiſtri*, qui ex ferro. Alii tamen *calamiſtrum* acum exponunt. Ita *Servius* calamiſtrum *acum* majorem interpretatur, *qua calefacta &*

Nonius, Heſychius, notati.

adhibita intorquet capillos. Nonius calamiſtrum exponit *brevem fiſtulam qua cirri continentur.* Quo reſpectu *Heſychius*, καλαμίδα, κοσμούμενον τι περὶ πλοκάμους, dicit. Sed meo judicio parum convenienter, quia hæc *acum crinalem* præſtare ſupra ſufficienter expoſuimus. Et ipſe *Varro* apertè calamiſtrum & diſcerniculum ſeparat qui Lib. IV. de Lingu.

Calamiſtrum & diſcerniculum diverſa.

Latin. *Calamiſtros* ſtylos interpretatur. *quod his calefactis in cinere capillus ornatur. Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus.*

Can-

Candente itaque calamiſtro crinis criſpatus. *Cicero* de Cæſare in Bruto: *Ineptis fortaſſis gratum fecerit, quo volunt illa calamiſtris inurere.* Et præter *Sueton.* Iul. Cæſ. cap. 56. meminit etiam memoratus *Cicero* de Oratore: *Removebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum, nec calamiſtri quidem adhibebuntur.* Ad ultimum, qui anulatam comam gerebant, *calamiſtrati* dicti. Vt *calamiſtratus* ſaltator *Cic.* pro Sextio. Cinædæ *calamiſtratæ Plauto* in Aſinaria. Et denique ipſa coma *calamiſtrata* apud *Ciceronem.* Verum qui de acu crinali vel comatoria plura velit, adeat *Salmaſ.* in Solinum & *Dempſterum* in Antiqu. *Roſini*, quo Lectorem remittimus. Nos à diverticulo in viam. Calamiſtrati.

Inaures duas inſignes in Numiſmatis binis, Phæniceis literis, vide apud *Bernard. Aldre-*

tum in Antiquitatibus Hiſpanicis pag. 179. Quæ & ego à Viro Clariſſimo & Celeberrimo Dn. *Daniele Papebrochio* è Societate Ieſu, cujus in *Actis Sanctorum* labores æternùm orbis mirabitur, ad communem amicum *Andream Friſium* tranſmiſſa publico non invidebo.

Itemque in Pinaco theca inſtructiſſima Noviomagenſi *Smetii* exſtat *inauris* aurea cum granato rudi.

Cœterum ut forma *inaurium* varia, ita nec pondus nec pretium omnibus idem. Pro ratione dignitatis & fortunarum, hæc, ut reliqua ornatus inſtrumenta, diverſa erant. Apud alios in tantum crevêre ſive luxus ſive dignitatis hæc indicia, ut in iis integra conſumpſerint Patrimonia, atque locupletis & univerſæ domus cenſum auribus geſſerint. De iis pulcherrime *Hieronymus* ad





ad Demetriadem: *Vt taceam*, inquit, *de* inaurium *preciis, candore margaritarum rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum virore, cerauniorum flammis, hyacinthorum pelago, ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum. Hæc eſt illis per ſingulos dies cura præcipua, implicare auro crinem, ſuſpendere ex auribus Patrimonia.* Pondus indicatur apud *Plautum* in Menæchm. Act. III. Scen. 3.

Inaurium pondus.

---- Inaureis *da mihi*
Faciundas pondo duûm num-
mûm ſtalagmia.

Et revera *Inaures* non ſolum magni ponderis ſed & immenſi pretii fuiſſe, luculentum teſtimonium exhibet apud *Lampridium* Alexand. Severus Imp. cujus uxori quum quidam legatus obtuliſſet *magni ponderis & inuſitatæ menſuræ* uniones duos, vendi eos

eos juſſit: Atque quum precium non invenirent, ne exemplum malum à Regina naſceretur, ſi eo uteretur quod emi non poſſet, *Inauribus* Veneris eos dicavit. Præterea *Iudic.* c. VIII. cum ab Iſmaëlitis Gideon poſtulaſſet ab unoquoque *Inaurem* ſpoliorum ſuorum, fuiſſe dicitur *pondus inaurium aurearum quas poſtulaverat mille & ſeptingentorum aureorum. Geneſ.* cap. XXIV. v. 22. legimus pondus *Nezem auri* Rebeccæ à ſervo Abrahæ oblati fuiſſe dimidiati ſicli. Vbi LXX. vertunt, ἀνὰ δραχμὴν ὁλκῆς, *ponderis drachmæ.* Atque ii ad ſenſum optimè, judice *Amamâ* Cenſur. in Vulg. Interpret. Siclus enim communis & profanus, quem laicum vocavit *Pagninus*, erat δίδραχμος, id eſt, valebat duas drachmas; idque teſte *Heſychio*, Δύναται ὁ σίκλος δύο δραχμὰς ἀττικάς. Quod vero *Ioſe-*

Lxx. Interpretes de ſenſu.

Siclus, quantum ?

Ioſephus Antiqu. Lib.III. cap. 10. ait, σίκλος δέχεται δραχμὰς τεσσάρας, de ſacro intelligendum eſt, qui profano duplo major erat. De quibus videri pluribus poteſt *Druſius* ad loca diff. Moſis, & Waſerus de nummis Hebræorum. Atque ea diſtinctio ſicli non obſervata *Auguſtinum Steuchum* eo induxit, ut LXX. Interpretes nullo jure hoc nomine culpaverit, quod ſiclum per drachmam expoſuerint. Vulgata autem verſio hoc loco legit: *Poſtquam biberunt Cameli protulit inaures aureas appendentes duos ſiclos.* At ſive hoc de alterutra ſive utraque interpretandum, vix hanc vulgati verſionem expedire licet. Conatur tamen *Lyra* hanc litem dirimere, & dictam interpretationem vindicare hunc in modum: In Hebræo habetur, inquit, protulit *inaurem* auream, cujus pondus erat *medietas ſicli*, &

Auguſt. Steuchi error.

Vulgatus vindicatur.

& probatur per hoc, quod ha- „
betur *Exod.* cap. 38. ubi eadem „
dictio ebraica ponitur pro dimi- „
dio ſiclo. Poteſt tamen dici quod „
in Exodo loquitur de ſiclo ad „
pondus ſanctuarii, & potuit eſſe „
majus pondere uſuali, in tantum „
quod medietas ſicli ſanctuarii va- „
lebat unum ſiclum uſualem. Ta- „
men, ſicut dictum eſt aliàs, in „
talibus ponderibus nihil eſt cer- „
ti, quod valde mutantur ſecun- „
dum diverſas gentes & ſecundum „
eandem gentem diverſis locis & „
partibus. Per hoc verò quod in „
Ebræo dicitur, *inaurem*, in ſin- „
gulari, intelligitur etiam ſibi „
correſpondens, quod non orna- „
batur una auris ſine alia, & quæ- „
libet *inauris* erat æqualis ponde- „
ris. Et ſic ſolvitur diſſonantia, „
quæ videtur eſſe inter tranſlatio-
nem noſtram & literam ebrai-
cam. Hactenus *Lyra*. Cœterum
hæc ejus pro *Vulgato* apologia
aliis

Lyra repræhenſus.

aliis minus arridet, qui contendunt, ſiclum ſacrum tunc temporis necdum exſtitiſſe, utpote cujus origo non altius quam ipſius ſanctuarii arceſſi poteſt; unde ſiclus ſanctuarii etiam ſiclus ad menſuram ſanctuarii proprie dicitur.

Apud alios *Inaures*, quæ tanti & pene immenſi fuere pretii, vel Regiæ magnificentiæ atque Majeſtatis, vel muliebris luxuriæ atque ſuperbiæ indicia erant. Talis fuit unio, cujus apud *Pancirollum* meminit *Zonaras*, quem Rex Perſarum Peroſa in expeditione adverſus albos Hunnos à dextra aure detractam abjecerat, & poſtea repertum Iuſtinianus centum auri libris redimere à Barbaris voluit. Sic plurimos alios nec contemnendi pretii etiam mulierum luxuriæ ſed potius inſaniæ inſerviiſſe videmus. Serviliæ Catonis Vticenſis ſorori

Inaurium pretium.

Iul.

Iul. Cæſar. Margaritam emit ſexagies ſeſtertio, teſte *Suetonio* cap. I: *Sed ante alias dilexit M. Bruti Matrem Serviliam: cui & proximo ſuo conſulatu ſexagies H. S. Margaritam mercatus eſt.* Quam ſummam, ex calculo *Budæi*, centum quinquaginta millium coronatorum facit *Lipſius*; quippe per ſexagies ſeſtertium, intelligenda ſexagies centena ſeſtertia, in ſingula autem ſeſtertia xxv. Coronatos taxandos eſſe. Similis unio Cleopatræ, quæ maxime ſingulare illud & verè unicum naturæ opus auribus geſſiſſe dicitur, cumque ſponſionibus cum Antonio factis eum ex aure detractum ac liquefactum abſorbuiſſet, una cœna dicitur centies ſeſtertium conſumpſiſſe, apud *Plinium* Nat. Hiſt. Lib. IX. cap. 35. Confirmante idem luculenter *Macrobio* Saturn. Lib. III. cap. 17. Pari in-

Vnio Cleopatræ.

ingluvie filium Æſopi, in unica ex aure Metellæ detracta baca, decies centum millia ſeſtertiûm nummûm devoraſſe dicit *Horatius* Lib. II. Sat. 3. Vnde colligitur etiam tanti unicam illam Metellæ *inaurem* æſtimatam. Atque in hac tanta communi inſania, quaſi quoddam luxus certamen inter omnes erat. De Lolia Paulina, quæ fuit Cai Principis matrona, habemus *Plinium* confitentem Natur. Hiſtor. Lib. IX. c. 35. ſe eam vidiſſe ſmaragdis margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite, crinibus, ſpiris, *auribus*, collo, manibus digitiſque, quæ ſummam *quadringenties ſeſtertium* colligebat.

Vnio Vitellii. Nec ſane exigui momenti *unio* ille quem Vitellius, cum exituro viaticum defuiſſet, detractum ex *aure* matris ſolum pignoraverat ad itineris impenſas omnes,

omnes, referente *Suetonio* in Ejus Vita cap. VII. Hic tantis ſumptibus unio ſufficiebat, qui antea non niſi inutilem & invidendum ornatum uni dederat auriculæ. Sanè tot immodici ſumptus ideo ſolùm effuſi ut unica ſplendeat auricula, potuiſſent in uſus verti meliores. Vidit hoc *Zenon Martyr*, qui Serm. de Iuſtit. pulcherrime ita fatur: *O quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ Matronæ! Ornamentum, cujus unum ſi ſolvas in precium, diſtribuàſque neceſſitatibus ſingulorum, ex eorum reſpiratione cognoſces, quantorum malo ille conſtet ornatus.*

CA-

Caput III.

Inaurium Materia.

I*Naurium* varias materias elegêre delicatuli, prout major vel minor luxus animos invaſerat. Nec contenti his ſpoliis ſuperbientes iis luxus inſtrumentis, quæ facile & ſine periculo aut vitæ diſpendio acquiri poterant, verum Margaritas & ſpolia Orientis pro ornamentis aurium habebant. De hac iniquitate conqueritur non uno loco *Plinius*, quod non ament niſi ea quæ ſummo vitæ diſcrimine conſtent, & non appetant niſi eam prædam, quam qui acquirunt ipſi prædæ fiunt. Ita enim dictus *Plinius* Natur. Hiſt. Lib. IX. cap. 35. *Inter ſcopulos pars major* [Margaritarum] *invenitur, ſed in alto quoque comitantur marinis cani-*

Inaures ex Margaritis.

canibus. Nec tamen aures fœminarum arcentur. Idem Præfat. in Lib. XII. *Quo magis & magis*, inquit, *admirari ſubit, ab iis principiis cadi montes in marmora: Vnionem in rubri maris profundo, ſmaragdum in ima tellure quæri. Ad hoc excogitata ſunt aurium vulnera.* Et inter alios hanc luxuriæ materiam maxime damnabant Chriſtiani Zelotes, quod docet apertè D. *Hieronymus*, qui cum alibi tum etiam eleganter de Romanis matronis conqueritur in Vita B. Marcellæ viduæ Romanæ, quod ſoleant pupuriſſo & ceruſſa ora depingere, ſericis nitere veſtibus, ſplendere gemmis, aurum portare cervicibus & *auribus perforatis rubri maris pretioſiſſima grana ſuſpendere.* Totum hunc apparatum luxus magnificum eleganti carmine perſequitur Aur. Prudentius: Aurium vulnera.

Ac

Ac velut artificis Domini manus imperfectum
Os dederit, quod adhuc res exigat aut hyacinthis
Pingere ſculptilibus redimitæ frontis in arce.
Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis,
Auribus aut gravidis virides ſuſpendere baccas.

Baccæ virides in auribus.

Receptiſſima itaque eſt hæc *inaurium* materia, & margaritarum auribus ſuſpenſarum indicia apud plurimos authores. Paucos adducam ne nimia prolixitate tædium pariam. *Seneca* Hippolyt. Act. II. Sc. I.

— Nec vivens lapis
Diducat aures, Indici donum maris.

Et *Horatius* Epodon VIII.

Nec ſit marita quæ rotundioribus
Onuſta bacis *ambulet.*

Hic

Hic enim optima quævis exemplaria *bacis* leg. pro *baccis*. Nec rationem habent contrariam. *Baccæ* enim propriè ſunt lauri, oleæ, myrti, & id genus arborum fructus, ut apud *Ovidium* Metamorph. Lib. x. v. 98. An Bacæ vel Baccæ?

Et bicolor myrtus & baccis cærula ficus.

Ad quarum ſimilitudinem etiam *bacas* vocabant Margaritas. Quæ appellatio pro unionibus vel ex eo *Virgilii* eluceſcit:

Colloque monile bacatum.

Quamvis non negaverim & *baccas* pro unionibus dixiſſe alios. Vt *Ovidius* Lib. x. Metamorph. Fab. VIII. v. 264.

Dat digitis gemmas dat longa
monilia collo,
Aure leves baccæ, redimicula
pectore pendent.
Cuncta decent.

Et *Claudianus* de VI. Honor. Conſul.

> *Baccis* onerat candentibus aures.

Lapis pro baca. Interdum ſolo lapidis nomine *bacæ* iſtæ Margaritarum, quæ aures occupabant, indigitatæ. Invaluit hic mos loquendi apud plurimos. *Ovidius* Lib. III. Artis Amand.

> *Vos quoque nec caris aures onerate lapillis*
> *Quos legit in viridi decolor Indus aqua.*

Martialis Lib. II. Epigr. 50.

> *Gemma vel è digitis, vel cadit aure lapis.*

Nec aliter *Manilius* Lib. v. de Caſſiope:

> *Perque caput ducti lapides, per colla, manuſque.*

Sed unus mihi inſtar omnium *Naſo*, qui denominationis hujus

jus luculentus teſtis eſt Lib. I. Art. Amator.

Quid quod mendaci damno mœſtiſſima ploras
Elapſuſque cava fingitur aure lapis.

Commendantur autem *bacæ* ſeu Margaritæ à rotunditate, quare ſupra *Flaccus:* Rotundioribus onuſta *bacis.* Et apud *Plinium* Nat. Hiſtor. Lib. IX. cap. 35. Margaritarum dos omnis in candore, magnitudine, orbe, lævore, pondere conſiſtit. Oblongas autem *elenchos* vocabant, quod *Juvenalis* Sat. VI. indicat. Bacæ æſtimatio.

Nolo pluribus hæc tractare cum ex unione ſolius Cleopatræ conſtet Margaritas aurium ornamentis dicatas. De Cleopatra *Lucanus* Pharſal. Lib. X. v. 137.

Nec ſceptris contenta ſuis, nec fratre marito,
Plena maris rubri ſpoliis colloque comiſque

Divitias Cleopatra gerit, cultuque laborat.

Hiſtoria unionis Cleopatræ.

Fuêre quippe duo maximi uniones per omne ævum; referente *Plinio* Nat. Hiſt. Lib. IX. cap. 35. utrumque poſſedit Cleopatra Ægypti Reginarum noviſſima per manus Orientis Regum ſibi traditum. Hæc, cum exquiſitis quotidie Antonius ſaginaretur epulis, ſuperbo ſimul & procaci faſtu lautitiam ejus omnem apparatumque detrectans, quod aſtrui magnificentiæ poſſit, reſpondit, una ſe cœna centies ſeſtertium abſumpturam. Cupiebat diſcere Antonius, ſed fieri poſſe non arbitrabatur. Ergo ſponſionibus factis poſtero die quo judicium agebatur, magnificam aliàs cœnam ne dies periret, ſed quotidianam Antonio appoſuit irridenti, computationemque poſtulanti. At illa corollarium id eſſe conſumpturamque ſe ea in

cœna taxationem confirmans, ſolamque ſe centies ſeſtertium cœnaturam. Inferri menſam ſecundam juſſit. Ex præcepto miniſtri unum tantum vas apposuere aceti, cujus vis & aſperitas in tabem Margaritas reſolvit [quas aceti vires etiam præter *Vitruvium* Lib. VIII. cap. 3. ipſe *Plinius* docet Lib. XXIII. cap. I.] Gerebatque auribus tum maxime ſingulare illud & vere unicum naturæ opus. Itaque ſpectante Antonio quidnam eſſet actura, detractum alterum merſit & liquefactum abſorbuit. Injecit alteri manum &c. Hactenus rem latè perſequitur *Plinius*. A quo nihil ferè diverſum ſentit *Macrobius* qui eandem hiſtoriam tradit Saturnal. Lib. III. cap. 17. Aceti vires.

Pretioſam illam Cleopatræ ingluviem imitati alii. De Clodio Æſopi Tragœdi filio *Horatius* Satyr. Lib. II. Sat. 3.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum abſorberet, aceto
Diluit inſignem baccam.

Vniones pro in auribus. Ex dictis uniones auribus deſtinatos patet, & quidem unicum unionem ornamentum totum abſolviſſe. Conjungebant tamen alii, quaſi in quodam luxus certamine, duos, tres, quatuorve, atque ita utraque aure gerebant.

Vniones plures ſimul juncti. Vt confitetur *Plinius* Lib. IX. Natur. Hiſtor. cap. 35. ubi de unionibus loquitur: *Hos digitis ſuſpendere, & binos ac ternos auribus fœminarum gloria eſt.* Sic *Seneca* de Beneficiis Lib. XII. cap. 9. *Video uniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos; jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt: junguntur inter ſe & inſuper alii binis ſuperponuntur. Non ſatis muliebris inſania viros*

ſubjecerat, niſi bina ac terna patrimonia auribus pependiſſent. Quare non inconvenienter *Claudianus* de VI. Conſul. Honor. v. 561.

Conſpicuas cum flore genas diademate crinem,
Membraque gemmato trabeæ viridantia cinctu,
Et fortes humeros & certatura Lyæo
Inter Erytræos ſurgentia colla ſmaragdos
Mirari ſine fine nurus.

Et hæc quidem *Inaures* ex Margaritis fuiſſe demonſtrant.

Ex auro factas non uno loco obſervo. *Proverbior.* cap. xxv. v. 12. ex vulgata verſione: *Inauris aurea & Margaritum fulgens, qui arguit ſapientem & aurem obedientem*, ubi נזם זהב וחלי. כתם *Schol.* ἐνώτιον χρύσεον καὶ πίνωσις χρυσῆ: *inauris aurea &* Inaures ex auro.

Pinoſis quid?

pinoſis aurea. Quid per *pinoſin* hic propriè intelligendum, non dixerim. Si conjecturæ locus ſit, dicam inde fluxiſſe, quia Græcis pineam nucem *ſtrobulus* ſignificat, geſtamen ex auro Barbarorum quorundam. Ideo *B. Rhenanus* cum apud *Tertullianum* Lib. de Veland. Virgin. putaſſet in prima ſua editione pro *Crobulos Barbarorum* legi debere *ſcrobulos*, quod diminutivum eſt à *ſcrobe*, aurium nempe foramina per quæ Barbari trajiciebant gemmas & annulos; in altera editione reponit *ſtrobulos.* Et certè στρόβυλος *Iulio Polluci* Lib. I. Onomaſt. c. 9. n. 17. & Lib. IV. c. 20. Latinè *turbo* redditur à *Rudolph. Gualtero.* Et apud eundem Lib. V. cap. 16. στροβύλια, *inaures*, in mundo muliebri inter ἐνώτια, ἐλλόβια &c. reponuntur, eaſque *rotulas* interpretantur: Vnde concludi poteſt

Strobulus.

Tertullianus emendatus.

Inaurium

ſeſt *inaures* fuiſſe formâ rotundâ. Forma.
Quæ turbinata forma cum pinea nuce convenit & forſan etiam cum *Pinoſi* noſtra. Niſi melius *Hieron.* pro *Pinoſi* vertit *Margaritum fulgens*, aliàs *Margarita fulgens.* LXX. σάρδιον πολυτελές. *Chaldæus Paraphraſtes*, *vaſa ſmaragdina.* Præterea *inaures* aureas deprehendimus *Iudic.* VIII. ubi Gideon inquit: Poſtulabo à vobis poſtulationem ut detis mihi quiſque נזם, *inaurem*, ſpoliorum ſuorum: *Inaures autem aureæ erant iis quia Iſmaëlitæ erant.* Et poſtea: *Fuit autem pondus Inaurium aurearum* &c. Sic etiam Iobi cap. XLII. verſ. 12. in vulgati verſione legitur: Et dederunt ei unuſquiſque bovem unam, & *inaurem auream* unam. Nobilium puerorum *inaures*, quas ad indicium nobilitatis geſtabant, ex auro erant. Confirmat hoc *Apuleius*, qui de Inauris aurea nobilitatis ſignum.

Dogmat. Platon. *Auri tantum*, inquit, *quantum puer nobilitatis inſigne in auricula geſtavit.* Aurum enim ſumitur pro *Inaure* aurea, uti ſæpiſſime pro armillis aureis aurum tantum in lacertis vel brachiis, poſitum reperimus. Vt *Tibullus* Lib. I. Eleg. 10.

Armillæ aureæ.

Iſta hæc perſuadeat facies, auroque lacertos
Vinciat & Tyrio prodeat apta ſinu.

Apud *Ovidium* itidem Heroid. Epiſt. IX:

Non puduit fortes auro cohibere lacertos
Nec ſolidis gemmas impoſuiſſe toris.

Pro torquibus aureis etiam aurum in collo dictum eſt *Hieronymo*, qui in Epiſtol. ad Lætam: *Nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres.*

Eo-

Eodem modo ſola gemma pro annulo apud *Propertium* Lib. III. Eleg. 5. Gemma pro annulo.

Ornabat niveas nullave gemma manus.

Argenteas *inaures* reperio apud *Athenæum* Lib. VIII. Deipnoſoph. ἐνώτια ἔχουσας χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ. Vnde lux magna Inſcriptioni illi apud *Gruterum* p. MLXVII. ubi MINERVÆ. AVG. dedicatas AVRES. ARGENTEAS. & EX. ARGENT. LIB. II. factas, per *inaures argenteas* nos explicamus. Inſcriptioni vet. lux.

Imo, ex ære etiam *inaures* erant. Ita *Laurent. Pignorius* Comment. de Servis inter alia cultus & mundi muliebris inſtrumenta, quæ olim exſtabant Romæ, apud Lælium Paſchalinum, exhibet *Inaurem* æream, gemmis tribus vitreis oblongis Inaures æreæ.

dependentibus ornatam, forſan ex mundo tenuioris alicujus & pauperculæ fœminæ. Quales exacte deſcribit *Ovidius* Metám. Lib. x. v. 115.

--- Parilique ex ære nitebant
Auribus in geminis, circum
cava tempora, baccæ.

Quamvis alii, ſed minus propriè legant *parileſque ætate nitebant*, & alii, ſed minus eleganter, *parilique nitore nitebant.*

Inaures Oſſeæ & ligneæ. *Inaures* oſſeas atque ligneas vel pauperioribus quibuſvis vel tantum Orientalibus gentibus uſitatas crediderim. Hoc confirmatur, quod eas viris inter Braſiliæ incolas etiam in labro inferiori ab adoleſcentia perforato uſitatas, è magno *Purchaſi* Itinerario referat *Ioh. Laëtius* Nov. Orb. deſcript. Lib. XII. cap. 16. & 20. Pariterque de lapide ex Damanni mente Nephri-

phritico *Anſelm. Boetius de Boodt* de Gemmis Lib. II. c. 110. Mulieribus neutiquam, quibus magis volupe foratis auribus ligneos globulos ſuſpendiſſe. De his ligneis, imo & oſſeis *Inauribus*, quæ *Nambipaya* à Braſilienſibus vocantur, apertiùs *Georg. Marcgravius* Lib. VIII. cap. 6. de Veſtitu & ornatu Braſilienſium: Auriculas, inquit, perforant in tantum, ut digitum immittere poſſit foramini. Huic immittunt vel os aliquod cercopithecorum & vocant *Nambipaya*: vel lignum aliquod digiti humani magnitudine filis goſſypinis circumvolutum.

Nambipaya quid?

Denique Flores in auribus geſtari ſolitos paucis monet *Ioſeph. Laurentius* Polymath. Lib. II. Diſſertat. XXXVI. & confirmat ex Athenæo Deipnoſoph. Lib. XII: *Molle ſyſimbrium, aut roſa,*

Flores in auribus geſtati.

aut lilium auri inſidebat. Quo forſan reſpiciens *Calphurnius* Eclog. VI:

—— ramoſaque tempora molles
Implicuere roſæ.

Niſi de Coronis, quibus tempora cingebantur, hoc intelligi velimus, de quibus tacere conſultius duco, quam vel parum dicere, vel poſt tot Homeros Iliada ſcribere. Nam aliàs roſas crinibus implicitas tum paſſim ex aliis tum ex *Euripide* in Med. conſtat. Nec ſolæ roſæ ornatui capillorum adhibitæ, nam præter, laurum, myrtum, hederam, apium, vitem &c. capillis lilia circumdata legimus apud *Ovidium* Metam. Lib. XII. Hyacinthum, à virginibus Spartanis, apud *Theocritum* Idyll. XVIII. Et denique comis anemone implicita apud *Nonnum* Dionyſiac. Lib. XI. Sed hæc taceo, quia has ut

Roſæ crinibus implicitæ.

Varia Capillorum ornamenta.

ut & alias Variarum gentium in crinibus vel ornandis, vel variè ponendis, vel nutriendis, vel tondendis, ſuperſtitiones me & alios edocebit, ætate non ingenio minor, frater amantiſſimus *Thomas Bartholinus* Filius, ubi ad lucem publicam maturuerint quæ in hac materia ex omni antiquitate non vulgaria collegit.

CAPUT IV.

Inaurium Faber.

ERant qui in *inauribus* fabricandis ex profeſſo occupabantur. Eoſque in Deorum numero fuiſſe, teſtis mihi eſt *Plinius* Natur. Hiſtor. Lib. XXXIII. cap. 2: *Fabricas*, inquit, *etiam Deûm fibulas & alia muliebris cultus, ſicut Inaures, in primordio factitaſſe ſine mentione annulorum.* Et hanc artem quaſi jure quodam

Vulcanus inaurium Faber.

quodam ſibi vindicaſſe Vulcanum, apud *Homerum* patet Iliad. Σ. ubi Thetidis & Eurynomes in ſe beneficia jactat & addit:

Τῇσι παρ' εἰνάετες χάλκευον δαίδαλα πολλὰ,
Πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας,
καλυκάς τε, καὶ ὅρμους.

Vbi *Spondanus* vertit:

Apud iſtas per novennium fabricavi artificioſa multa
Fibulaſque, tortileſque armillas, fiſtulaſque & torques.

Camerarii lapſus.

Ἕλικας *Camerarius* reddit, *torques*, quanquam apud *Pollucem* auribus hoc ornamenti genus tribuatur. Ipſum Poëtam optime explicat. *Heſychius* apud quem: ἕλικες, ἢ ἐνώτια, ἢ ψέλλια, ἢ δακτύλιοι, *vel inaures, vel armillæ, vel annuli.* Quanquam verba *Homeri* licentius tranſtulerit *Eoban. Heſſus.*

-- *Quas*

--- Quas apud arte mea fabrilibus armis
Plurima confeci flabella, monilia, bullas.

Scilicet fabrilibus his operibus non dedignabatur Vulcanus, quamvis Deus, ſed claudus, cum clava in Lemno imperium teneret. Monilia, quæ *inauribus* affinia ſunt, eum fabricaſſe author eſt *Nonnus* Dionyſiac. Lib. II. Monilium Faber.

Ἐργατίνην δ' Ἥφαιστον ἐθήμονι κάλλιπε λήμνῳ
Ὄφρα κεν ἀσκήσειε νεοζυγέος σέο νύμφῃ,
Ποικίλον αὐχένιον ὅρμον εὔχροον ἤνοπι κόσμῳ.

Operarium vero Vulcanum conſuetæ relinque Lemno,
Vt conſtruat noviter conjunctæ tuæ nymphæ
Varium cervicis monile, benecoloratam ſplendido ornatu.

Oc-

Occurrit alius apud Eundem Lib. v. illuſtris locus, quem, cum alii præteriêre, eò libentius adſcribam, quò elegantius fabricam & connexum omnem Torquium demonſtrat.

Monilium Fabrica & connexio.

Ποίκιλον ὁρμὸν ἔτευξεν, ὃς ἀστερο-
φεγγέϊ νώτῳ,
Ὡς ὄφις ἦν, ἑλικῶδες ἔχων δέμας,
οἷα γὰρ αὐτὴ
Δίστομος ἀμφίσβαινα μέσῳ μηρύε-
ται ὁλκῷ
Ἰὸν ἀποπτύουσα δι' ἀμφοτέροιο κα-
ρήνου,
Ἀμφελελιξομένη μελέων ἐπερζυγι
παλμῷ,
Ἐς κεφαλὴν δὲ κάρηνον ἐφερπύ-
ζουσα συνάπτει,
Λοξὴ καμπύλα νῶτα περικαίρουσα
πορείῃ,
Ὡς ὅγε ποικίλος ὅρμος ἰαγόντα νῶ-
τα τιταίνων,
Κάμπτετο κυρτωθεῖσαν ἔχων διδυ-
μάονα δειρήν.

Si

Si in Latium transferas ita ſonant:

Varium monile fecit, quod ſtellis lucente dorſo,
Tanquam ſerpens erat, circulare habens corpus, velut enim ipſa
Duplicis oris amphisbæna medio revolvitur tractu
Aculeum exſpuens ab utroque capite,
Circumvoluta membrorum alterjuga vibratione
Ex capite vero in caput repens complicat
Obliquo incurva dorſa circumſaliens tractu,
Sic hoc varium monile fracta dorſa tendens,
Flectebatur incurvatam habens geminam catenam.

CAPVT V.

Inaures quas corporis partes exornarint.

A Latinis non alii corporis parti appenſæ vel tributæ *Inaures*, quam auribus, unde denominatio etiam orta. *Ambroſius* Lib. de Abrah. cap. 9. *Has inaures habebat, quæ non gravarent aures: has virias quæ manum non materiali auro ornarent, ſed ſpirituali actu levarent.* Et vix aliunde ſuſpenſa dicuntur pretioſa illa grana, id eſt, margaritæ vel uniones, qui *inaures* denotabant, quam de aurium cavernis & cicatricibus. Quod, quamvis non approbet in Chriſtianis, refert tamen *Cyprianus* de Habit. Virgin. *An vulnera*, inquit, *inferri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia*

Aurium ornamentum proprium.

tia & mali ſecularis ignara cruciet ur, ut poſtea de aurium cicatricibus & cavernis precioſa grana dependeant, etſi non ſuo pondere, mercium quantitate. Perbellè hic intelligit *inaures*, per precioſa grana è vulneratarum aurium cicatricibus atque cavernis dependentia. *Plinius*, non in alia parte fœminis majus impendium eſſe margaritis inde dependentibus, dicens, quid exprimit aliud quam inaures, nam eas expreſſè huic parti aſſignat? Ita enim ille Nat. Hiſt. Lib. XI. cap. 37: *Aures homini tantum immobiles. Ab iis Flaccorum cognomina. Nec alia parte fœminis majus impendium margaritis dependentibus.* Vbi cum notem Flaccorum cognomina ab auribus fuiſſe, occurrit Paganorum ſuperſtitio, quam in aliis omnibus corporis partibus vel DIS ſuis dicandis vel pro Diis habendis,

Flaccorum cognomina unde?

dis, ut alibi prolixius referre & juſto ſervare volumini conſtitutum mihi eſt, ita hic ſolum annotabo, quod, præter alia monſtroſa portenta, quæ moleſtè ſane in hac re ſeduli auribus affinxêre, *Cicero* in Epiſtola ad Q. fratrem, *in auribus omnium gentium ac nationum poſitam virtutem* dixerit. Teſte *Plinio* Natur. Hiſt. Lib. x. cap. 45. erat in ima aure memoriæ locus, quem tangentes atteſtabantur. Et erat poſt aurem æquè dextram Nemeſios, quo referebant tacto ore proximum à minimo digitum, veniam ſermonis à Diis ibi recondentes. Quare *Maro*:

In auribus gentium virtus.

In aure memoriæ locus.

---- Cynthius aurem
Vellit & admonuit.

Ejuſque partis contrectatio benevolentiam, qua parentes liberi proſequebantur, auditus ſenſu animis inſeri monebat, ſicut *Cle-*

mens

mens Alexandr. Lib. v. Stromat. Quamobrem olim mos erat ut pueri Patres oſcularentur arreptis utrinque auribus, quod oſculi genus *χύτραν* *Pollux* vocat Onomaſt. Lib. x. Eòque reſpexit *Poëta*:

Oſculi genus arreptis auribus.

Et fœtus matrona dabit, natuſque Parenti
Oſcula comprenſis auribus eripiet.

Aures etiam pro Deabus Pagani reputabant, eaſque tanquam *Bonas Deas* indigitabant, ut apud *Gruterum* Inſcript. Antiqu. pag. LXXXIX. n.6. Patavii apud Rhamnuſios in baſi:

Aures pro Deabus Bonis.

A V R I B V S
B. D. D.
P E T R V S I A
P R O B A
M A G I S T R A
G A L G E S T I
H E R M E R O T.

At-

Atque ut ad *inaures* revertar. Ex *Rhodigino* notandum Lib. III. Antiq. Lection. cap. 29. Aurium ſummam partem προλόβιοι dictam in flagitio deprehenſis, ignominiæ cauſa à veteribus præciſam. Imam vero partem, quam memoriæ dicatam ſupra retulimus, *lobon* dictam, pro appendendis inauribus perforatam, quæ ideoque ἐλλόβια à Græcis ἀπὸ τῦ λοβῦ dictæ. Quia aurium hanc tenerrimam partem *Inaures* occupabant, eleganter dicit *Tertullianus* de Habitu muliebri: *Graciles aurium cutes Kalendarium expendunt.* Kalendarium autem explicat *Fr. Iunius* per domus univerſæ cenſum, qui perſcribitur in Kalendario. Et recte quidem. Ferebantur enim Matronæ univerſæ domus cenſum auribus geſtare, cum nimiâ luxuriâ modum excederent. Ita *Seneca* de Vita Beata c. 17:

Aurium quæ pars perforabatur.

Tertullianus explicatus.

Quare

Quare uxor tua locupletis domus cenſum auribus gerit. Et apud Eundem de Benef. Lib. VII. c. 9. integra Patrimonia auribus propenſa dicuntur. Cœterum graciles aurium cutes perforatas inde patet, quod in auricula aurum geſtare dixerit *Apuleius*, & AVRICLÆ ORNATRIX apud *Gruterum*. Talmuldicis auricula dicitur tenerum auris vel quaſi cauda Auris. *Kidduſchin* fol. 21. 2. *Quando perforant* [aurem ſervi] *non perforant niſi in* אלא / *auricula.* *R: Sal.* exponit אַלְיָה / *caudam auris.* Quapropter Romæ inter alias puellas ornatrices alebatur etiam *auriculæ ornatrix*, quod propter Inaures factum nemo non videt. *Gruterus* Inſcription. Antiq. pag. DLXXIX. n. I. ex Muſæo Carpenſi Romæ:

Patrimonia in auribus.

Auricula, cauda auris.

Auriculæ ornatrix.

OSSA
IVLIÆ. LIVIÆ. AVG.
E AV-

A V R I C L Æ
O R N A T R I X

Sic & ibidem alia Inſcriptio, ſexto fere ab Vrbe Roma miliari:

L I V I Æ. N E P E
V R I C I. Æ.
O R N A T R I X

Inſcriptio emendata. *Gruterus* ita corrigit:

L I V I Æ N E P Æ
A V R I C L Æ
O R N A T R I X.

Vbi tamen *ornatrix* pro *ornatrici* κατ' ἀντίπτωσιν. *Aures* ſive minus ſive magis, *ut eſſe ſolet in his qui majora pondera auribus geſſerunt*, *perforatas* curandi ratio apud *Celſum* eſt Lib. VII. cap. 8. Nam incommoda cicatriculæ jam acu & filo inductæ abſque negotio ſubmovebant, notante *Io. Rhodio* de Acia, modo foraminula ſatis ampla erant, ſicut in iis qui, referente *Celſo*, inter Afros,

Aures foratæ quomodo curentur.

maxi-

maximeque Pœni, majora pondera auribus gerebant. Quemadmodum etiam in Virginiâ infimam auriculam tribus locis perforatam refert *Io. Laëtius.* Has auris cicatrices in corpore humano, non illos ad uſus nato, ægrè, ut Chriſtianus, ferebat *Tertullian.* quare de Cultu Fœm. *Cur non*, inquit, *mores meos habitus pronunciat, ne ſpiritus per aures ab impudentia vulneretur? Liceat videri pudicam certe impudicam non licet.*

Gerebant ergo *Inaures* ſine ullo diſcrimine vel ſexus vel auris, quam exornabant ſive alterutram ſive utramque. *Iſidorus* tamen Lib. XIX. Origin. cap. 31. ita uſum diſpeſcit, ut puellis in utraque aure, pueris tantum in dextra tribuerit. Cœterum muliebrem inſaniam ſatis demonſtrat *Seneca*, quæ non ſolum non, alterutrâ aure exornatâ,

Inaures puellæ utraque, pueri ſiniſtra aure gerebant.

verum etiam nec ſingulis unicum unionem comparaſſe, contentæ erant, at binos ternoſque jungebant. Ita autem *Seneca* de Benefic. Lib. VII. cap. 9: *Video uniones non ſingulos ſingulis auribus comparatos: jam enim exercitatæ aures oneri ferendo ſunt: junguntur inter ſe, & inſuper alii binis ſuperponuntur.* Nec multum aliter idem auriculis utrinque bina patrimonia tributa dicit, Lib. de Remed. Vtr. Fort. *Duc bene inſtitutam nec maternis inquinatam vitiis. Non cujus auriculis utrinque bina patrimonia dependent. Nunquam margaritæ ſuffocent, cujus ſarcinis domus non ſit anguſta.* Aptè *Ovidius* de Medicam. Faciei:

Bini uniones juncti.

Vultis odoratos poſitu variare capillos:
Conſpicuam gemmis vultis habere manum:

In-

Induitis collo lapides Oriente
petitos:
Et quantos onus eſt aure tuliſſe
duos.

Ideoque mulieres oneratas potius, quam ornatas aures habere dixit *Seneca* de Conſtant. Sapient. cap. 14. Aurium laminas pertundere dixit *Arnobius* Adv. Deos Gent. Lib. II. cujus in hæc aurium vulnera invectiva verba, ſed elegantia, adſcribam: An ne, inquit, idcirco Deus mulieres fecit, ut divini ponderis & gravitatis oblitæ, gemmas, capillos, margaritas caſtitatis diſpendio compararent, conſpiciendis corporibus faces quærerent, inverterent colla, *laminas pertunderent aurium*, imminuerent frontem limbis, fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubeſcerent maſculorum calamiſtris vibrare cæſariem, cutem

Aures oneratæ.

corporis lævigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere & in habitum fœminarum deliciaſque mollire? Hactenus *Arnobius*. Itaque quæ de laminis aurium pertuſis atque feneſtratis cicatricibus demiſſa reſplendebant ornamenta, *Inaurium* nomine vocabant, nec eas ad aliarum partium ornatus denominandos traxêre Latini. *Auguſtinus* tamen Tom. IV. cap. 115. Quæſt. in Geneſin, abutitur voce *Inauris*, cum vox propria non eſſet in promptu, qua ornamentum narium ſignificaret: *Mos*, inquit, *Maurorum eſt, ut inaures etiam in naribus habeant fœminæ.*

Inauris vocis abuſus.

Apud Græcos non aliud denominatum quam κόσμος ἐν τοῖς ὠσὶν, per ἐνώτια, ἐλλόβια, ἕρματα, & id genus alia ſupra recenſita, præter ea quæ de ἕλικες nos ibidem.

dem. Et *Parens* notavit de Armillis §. II. errorem LXX. Interpretum, quàm male cum ſacro textu egerint in expoſitione *Geneſ.* XXIV. v. 47. Τὰ ἐνώτια ἐπὶ τοὺς βραχίονας ponentes. Nam illa ſane non manibus ſed auribus appendere *Pollucem* & *Heſychium* monet *Parens*.

Error LXX. Interpretum.

Aliter Hebræi. Apud eos enim נזם, *Neſem*, non ſemper ornamentum auris ſolius ſignificabat. Namque ſæpe pro ornamento naſi vel frontali, quod fronti alligatum ad nares uſque dependebat, uſurpatum eſt. Quo ſignificatu Græcis ἐπιῤῥίνιον eſt. Eam denominationem annotat *Druſius* ex *Proverb.* XI. v. 22. *Nezem aureum in nare porci*, ubi tamen LXX. & paſſim alibi ἐνώτιον exponunt. Ita etiam alii, cum vocem ſatis aptam huic ornamento exprimendo non invenirent, *Monile* interpretati ſunt.

ἐπιῤῥίνιον ornamentum naſi.

Et *Eſai.* III. v. 21. *Vulg.* vertit, *gemmas in fronte pendentes. Pagn.* & *Cajetan. circulos naris. Symmacho* tamen Interpreti Græco ἐπιῤῥίνιον dicitur ut alibi, ita *Iob.* XLII. v. 11. Et *Ezech.* XVI. v. 12. ubi, Poſui *Nezem* ſuper os tuum, ſolus Symmachus ἐπιῤῥίνιον habet, alii omnes, *Inaurem.* Sed hos, deficiente commodiori vocabulo, non niſi abuſive *inaurem* vertentes, excuſat *D. Hieron.* qui in dictum locum ita: Verbum Ebraicum נזם, excepto *Symmacho*, qui interpretatus ἐπιῤῥίνιον, omnes *inaurem* tranſtulerunt: non quod *inaures* ponantur in naribus, quæ ex eo quod de auribus pendeant *inaures* vocantur: ſed quod circulus in ſimilitudinem factus *inaurium*, eodem vocabulo nuncupetur, & uſque hodie inter cœtera ornamenta mulierum, ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere

Aurei circuli ex fronte pendentes.

&

& imminere naribus. Hæc *Hieronymus.* Pari ratione Talmud. Hieroſolym. Tract. de Sabbath cap. 6. *Nezem* exponit *aliquod quod ponitur ſupra naſum.* Referente tamen *Io. Rhodio* Diſſert. de Acia, Rabbi *Abrah. Aben Eſra* ad *Geneſ.* xxiv. v. 22. exiſtimat tam naribus quam auribus convenire. Sed de his plura à *Parente* peti poſſunt Comment. de Morbis Biblicis. Nezem quid?

Denique, quod *D. Hieron.* ſupra memorat adhuc ſuo tempore inter cætera ornamenta mulierum aureos circulos in os ex fronte pendere & imminere naribus, hoc pluribus comprobat memoratus *Rhodius.* Adducit enim Odoardum Barboſam, qui in regno Narſinga mulierum naſo, *inauris* more, unionem vel pyropum perforatum aut cyanum appenſum ſcribit, & narium alteri grandem annulum Vnio naſo appenſus.

gemmis fulgentem in Oriente paſſim *Petr. de Valle* Itiner. Orient. pag. 751. Quod etiam Viris Braſilienſibus in labro inferiori, ab adoleſcentia perforato, uſitatum, ex *Io. Laët.* Nov. Orb. Deſcript. Lib. XII. cap. 16. Imo, eodem teſte *Rhodio*, vidit Petrus Martyr regi Nagoaræ aliiſque Principibus ſuſpenſam naſo lamellam auream, quæ ad ornatum labia tegebat: Et Aloyſius Muſtus To. I. ſimiliter in Promontorio Zagro narium interfinium utrique ſexui annulo aureo trajectum, qui cibum ſumpturis demebatur. Affinis huic eſt circulus æneus, quem in labio oris habuiſſe Æthiopum quorundam mulieres refert *Strabo*, qui Geograph. Lib. XVII. per Interpretem *Caſaubonum*: *Armant*, inquit, *etiam mulieres quarum pleræque oris labium æneo circulo trajectum habent.*

Circulus æneus in labio.

CA-

Caput VI.

Inaures utrique ſexui familiares.

COmmunem tam viris quam fœminis *Inaurium* uſum deprehendo. Nec infrequens tamen interdum apud authores mentio occurrit alterutrius ſexus. De utroque ſexu *Plinius* ita Natur. Hiſtor. Lib. IX. cap. 35: *Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, margaritas. Parum ſcilicet fuerat in gulas condi maria, niſi manibus, auribus, capite, toto corpore à fœminis juxta viriſque geſtarentur.* Aliàs inter utrumque ſexum Earundem uſum ita diſtinguit idem *Plinius*, ut Viros præcipue in Oriente eis delectari dicat, nam hanc fœminarum luxuriam ubique terrarum eſſe nemo dubitat. Ita ille Hiſtor. Inaures utriuſque ſexus.

Natur. Lib. xi. cap. 37: *Aures homini tantum immobiles, ab iis Flaccorum cognomina. Nec alia parte fœminis majus impendium margaritis dependentibus. In Oriente quidem & Viris aurum geſtare eo loci decus exiſtimatur.* In Iunioribus ita explicat *Iſidorus* Orig. Lib. xix. cap. 31. ut puellas utraque aure, pueros tantum dextra geſſiſſe velit. Quippe apud hos Nobilitatis, apud illas fœmineæ mollitiei certum hoc erat teſtimonium. Viris earum uſum acceptum fuiſſe demonſtrant exempla Regum, quos eas haud reſpuiſſe legimus. Vt Perſarum Reges taceam, de Indiæ Rege mihi luculentus teſtis eſt *Curtius*, qui ejus cultum & apparatum omnem eleganter deſcribit Lib. ix. cap. 1. *Hinc in regnum*, inquit, *Sophitis perventum eſt. Subito patefacta portâ Rex Indus cum duobus filiis occurrit,* mul-

Virorum in Oriente.

Inaures Regum.

multos inter omnes Barbaros eminens corporis ſpecie. Veſtis erat auro purpuraque diſtincta, quæ etiam crura velabat. Aureis ſoleis inſeruerat gemmas. Lacerti quoque & brachia margaritis ornata erant: Pendebant ex auribus inſignes candore & magnitudine lapilli. A Regibus tranſiit ad alios. Quanquam à Chriſtianis applauſum hac luxuriâ non meruerint ii, qui forte propriâ non contenti regia quærebant ornamenta. In eos cum zelo haud exiguo invehitur *Auguſtinus* Tom. II. Epiſt. 73: *Execranda autem*, ait, *ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum, in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur, non ad placendum hominibus ſed ad ſerviendum Dæmonibus adhibetur. Et mox: Quid autem cum iis agendum ſit ſi ſolvere inaures timent & corpus Chriſti cum ſignis dia-* Inaures Virorum.

diaboli accipere non timent. Itaque creſcente luxu tanto, Viris auri & gemmarum uſum interdixit Alexander Severus, de quo teſtis eſt *Lampidius* : Gemmarum quod fuit vendidit, & aurum in ærarium contulit, dicens gemmas Viris uſui non eſſe : Matronas autem Regias contentas eſſe debere uno reticulo, atque *inauribus*, & bacato monili, & corona cum qua ſacrificium facerent, & unico pallio auro ſparſo, & cyclade quæ ſex unciis auri plus non haberet. Sed fœminis has delicias conceſſas videmus, & quamvis Viris prohibebantur *inaures*, nihilominus inter ornamenta Mulieribus licita recenſentur ab *Vlpiano* : *Licita ornamenta muliebria enumeret, armillas, inaures* &c. L. 25. ff. de Auro, argent. mund. muliebr. Leg. Et L. 34. ff. de aur. & arg. Leg. *Ornamenta muliebria ſunt qui-*

Inaures Matronarum.

Ornamenta Mulierum licita.

quibus mulier ornatur, ut inaures. Apud Romanos ſane hæc aurium inſignia matronis adjudicata legimus apud *Valer. Maximum* Lib. v. cap. 2. Quippe cum Marium Coriolanum patriam oppugnare conantem, admotoque portis urbis ingenti Volſchorum exercitu, funus ac tenebras Romano Imperio minitantem, Veturia mater & Volumnia uxor nefarium opus exſequi non eſſent paſſæ: Tum ita *Val. Maximus: In earum honorem Senatus matronarum ordinem benigniſſimis decretis adornavit. Sanxit namque ut fœminis ſemita viri cederent, confeſſus plus ſalutis in ſtola quam in armis fuiſſe, vetuſtiſque aurium inſignibus novum vitæ diſcrimen adjecit. Permiſit quoque his purpurea veſte & aureis uti ſegmentis.* Aurium inſignia.

CAPUT VII.

Inaures ob quas cauſas uſurpatæ, Earumque varius apud Varios uſus.

LVxuriæ tantum & ornamenti majoriſque oſtentationis cauſa uſurpatas à quibuſdam *Inaures*, pluribus evincunt varia hinc inde tum aliorum allata teſtimonia tum Patrum querimoniæ, qui has luxuriantium inceptias atro notarunt carbone. Non tamen alium *Inauribus* uſum ab antiquis etiam temporibus aſſignat *Ælianus* Var. Hiſt. Lib. I. cap. 18. περὶ τρυφωσῶν γυναικῶν: πῶς δὲ ὁ διέῤῥεον ὑπὸ τρυφῆς αἱ πολλαὶ τῶν γυναικῶν. ἐπὶ μὲν γὰρ τῆς κεφαλῆς στεφάνην ἐπετίθεντο ὑψηλὴν, τοὺς δὲ πόδας συνδάλοις ὑπεδοῦντο. ἐκ δὲ τῶν ὤτων αὐταῖς ἐνώτια μακρὰ ἐπεκρέμαντο, &c. καὶ ταῦτα αἱ πάνυ παλαιαί.

Inaures luxuriæ cauſa.

i. e.

i. e. *Nunquid vero pleraque antiquarum mulierum, luxu diffluxere? quæ corollam ſublimem capiti imponebant, pedes vero ſandaliis induebant, ex auribus longas inaures dependentes habebant. Atque hæc antiquiſſimæ mulieres faciebant.* Nec progreſſu temporis quicquam luxuriæ remiſſum, ſed apud plurimos haud obſcura ejus deprehendo indicia. De Lolia Paulina conquerentem habeo *Plinium* Natur. Hiſtor. Lib. IX. cap. 35: *Lolia Paulina quæ fuit Cai Principis Matrona, nec ſerio quidem aut ſolenni ceremoniarum aliquo apparatu, ſed mediocrium etiam ſponſalium cœna, vidi ſmaragdis margaritiſque opertam, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus digitiſque.* Vt hujus ſexus ornatui jure tales adſcribantur mollities. Scilicet non immerito, dum hæ delicatulæ mulieres co-

comuntur, annum numerat *Comicus*, quæ munditiei in tantùm datæ erant, ut hujus curam ſolam demandarent aliis. Inſcriptionibus hoc edocemur. Vt apud *Gruterum* Inſcript. Antiq. p. D LXXX. Labella marmorea ex Muſæo Cardinal. Carpenſis:

A mundo muliebri.

IVLIA. IVCVNDA
AVG. L. SARCINATR
A. MVNDO. MVLIE. BYRA
CANACIANA.

Ita etiam inter alia domus Auguſtæ officia, erant *ab ornamentis*, ut in ara marmorea eſt apud eundem *Gruterum* pag. D LXXVIII. quæ Romæ exſtat in Atrio domus Iulii Porcarii, ad Minervam:

Ab ornamentis.

D. M.
T. FL. AVG. LIB
PARTHENOPÆI
POPPEANI. EVNVCHI
AB. ORNAMENTIS
VIX. ANN. LXXXV. &c.

Quare

Quare etiam inter ornamenta muliebria recenſentur Inaures ab ICtis. *Vlpianus* ff. de Aur. & arg. Leg. Pand. Lib. 34. ubi ex profeſſo agit de veſtimentis & ornatu muliebri: *Ornamenta muliebria ſunt quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli, præter ſignatorios, & omnia quæ ad nullam aliam rem parantur quam corporis ornandi cauſa. Quorum in numero etiam hæ ſunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam in ſe nullam utilitatem habent.* Et apud *Voſſium* de Vit. Lat. Serm. Lib. II. cap. 13. occurrunt *Inaures* inter ornamenta in Legibus Angliorum & Werinorum, Tit. VI. §. 6. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat: filiæ vero ſpolia colli, id eſt, murænas, muſcas, monilia, inaures, veſtes, armillas, vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuiſſe.* Fuiſſe autem

Inaures inter Legata Matrum.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

tem inter ornamenta ſatis teſtatur *Propheta* ſacer apud quem cap. III. v. 17. in mulierum Ieroſolymitharum ruina atque luctu, ubi nullus locus erat ornamentis, dicitur Dominus ablaturus in die illa ornamentum calceamentorum & lunulas & torques & monilia & armillas *& inaures*. Quæ omnia deponerentur tanquam tempori triſti minus convenientia, cum Dominus illis funus atque exitium minaretur. Sic etiam inter ornamenta quibus Dominus Ieruſalem exornavit recenſetur *inauris* apud *Ezech.* Prophetam c. XVII. v. 11. *Et ornavi te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum & circulos auribus tuis & coronam decoris in capite tuo.* Atque harum *inaurium* quamdiu moderatus uſus, inter licita muliebria recenſentur ornamenta

Inaures ornamenti cauſa.

namenta apud *Vlpianum*; At ubi honeſti ornamenti limites transgreſſa eſt luxurioſa ſuperbientium turba, uſus margaritarum niſi certis perſonis & ætatibus perque certos dies ademptus à Iul. Cæſare, qui huic luxui tam aurium quam reliquarum corporis partium occurrere voluit, margaritarum abuſum moderatus apud *Sueton.* c. L. Et ſtrictius apud *Euſeb.* in Chronico prohibitum eſt lecticis margaritiſque uti eis quæ neque viros neque liberos haberent & minores eſſent annis quadraginta. Quoniam his ornamentis, quæ honeſtè habere licebat, per turpitudinem abuti properabant, tanquam dedecoris nota mollities per *Inaures* Viris objecta eſt apud Romanos, *Plinio* teſte, Lib. XI. c. 37. Et ab iis effœminati dicebantur, ut *Tertull.* Lib. de Pallio: *Aurem quoque foratu effœminatus.* Eleganter *Ovidius* de Art. Am. Lib. III.

Inauris mollitiei ſignum.

Sed

Sed quia cultus adeſt, nec noſtros manſit in annos
Ruſticitas priſcis illa ſuperſtes avis.
Vos quoque non caris aures onerate lapillis
Quos legit in viridi decolor Indus aqua.

Virginum ornamenta.

Cœterum *inaures* ornamenti ſummi vicem obtinebant, quippe quibus adveniente proco Mater filiam ſuam ornat, ut hoc cultu proco blandiatur & ejus gratior ſit amplexibus apud *Claudianum* de VI. Honor. Conſul.

Ac velut officiis trepidantibus ora puellæ
Spe propiore thori Mater ſollertior ornat
Adveniente proco, veſteſque & cingula comit
Sæpe manu, viridique anguſtat jaſpide pectus,

Sub-

Subſtringitque comam gemmis
& colla monili
Circuit & baccis onerat candentibus aures:
Sic oculis placitura tuis, inſignior auctis
Collibus, & nota major ſe Roma videndam
Obtulit.

Sic etiam Iuno ut Iovem decipiat apud *Homerum* Iliad. ξ. ſeipſam ita ornat: Inaures ad gratiam aucupandam.

Ζώσατο δὲ ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν,
Ἐν δ' ἄρα ἕρματα ἧκεν ἐϋτρήτοισι λοβοῖσι,
Τρίγληνα, μορόεντα· χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή. i. e.

Cinxit autem cingulum centum fimbriis concinnatum,
Ac ſane inaures appoſuit bene perforatis auriculis

In-

Inſtar trium pupillarum factus:
Venuſtas autem reſplendebat
magna.

Ad decipiendos Viros. Vnde etiam ad decipiendum Virorum oculos *Iudithi* ornamentum ita deſcribit ſacer Scriptor cap. x: *Quumque ſumens ſandalia adhibuiſſet pedibus ſuis & circumpoſuiſſet brachialia & armillas annuloſque & inaures ac totum mundum ſuum, denique venuſte ſe compoſuiſſet valde ad decipiendum virorum oculos.* Cæterum pro Iudith hoc in ſacro textu additur encomium: Quod ei etiam Dominus contulerit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat: Et ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliaverit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret. Non propter aliam cauſam *inauribus* gratiam formæ con-

conciliare meretricium ſignum credebatur. Sic apud *Ovidium* Lib. I. de Art. Amand. Inaures meretricum.

Quid cum mendaci damno mœſtiſſima plorat?
Elapſuſque cava fingitur aure lapis.

Et *Martialis* lautitiam Meretriciam deſcribens Lib. XII. Epigr. 50.

Nunc plorat ſpeculo fallax ancilla relicto,
Gemma vel è digitis vel cadit aure lapis.

Meretricium hoc ornamentum proprium eſſe vult *Seneca*, quippe qui Lib. de Conſtant. Sapient. cap. 14. ſuadet *inaures* non tanti eſſe ut referat ſive iis ornata ſit honeſta matrona, ſive non: *Quid refert*, inquit, *quantum habeat* [mulier] *quot lecticarios quam oneratas aures, quam laxam ſellam.* In ſacris monumentis de

populo ſuo Dominus apud Prophet. *Oſeam* cap. II. v. 13. Viſitabo ſuper eam dies Baälim, quibus accendebat incenſum & ornabatur *inaure ſua* & monili ſuo, & *ibat poſt amatores ſuos.*

Inaures Novæ Nuptæ. Magnificum hujus ornamenti apparatum deprehendo non ſolum in novis Nuptis, cujus rei teſtis luculentus eſt *Homerus* Hymn. in Vener. de Conjugio Mercurii & Veneris. v. 164.

Οἱ δ' ἐπεὶ οὖν λεχέων εὐποιήτων
ἐπέβησαν,
Κόσμον μὲν οἱ πρῶτον ἀπὸ χροὸς
εἷλε φαεινὸν,
Πόρπας τε, γναμπτάς θ' ἕλικας,
κάλυκάς τε καὶ ὅρμους·
Λῦσε δὲ οἱ ζώνην. i. e.

Hi autem poſtquam lectos bene
conſtructos aſcenderunt,
O*rnamentum quidem illi primum à corpore abſtulit lucidum,*

Fi-

Fibulaſque flexibiles, inaures,
calycaſque & monilia:
Solvit autem illius Zonam:

Verum etiam Sponſalitias has fuiſſe *Inaures* ab eodem *Homero* abunde edocemur Odyſſ. Σ. v. 298. ubi certatim proci Penelopen donis affecturi, inter alia dona *inaures* etiam adferunt: Inaures ſponſalitiæ.

Δῶρα δ' ἄρ', οἰσέμεναι προέεσαν
κήρυκαν ἕκαστος,

Ad portanda dona vero præmiſerunt præconem unuſquiſque.

Et paulo poſt:


Ἕρματα δ' Εὐρυδάμαντι δύω θεράποντες ἔνεικαν,

Inaures vero Eurydamanti duo ſervi portaverunt.

Et hujus rei elegans teſtimonium exhibent oracula ſacra, *Geneſ.* xxiv. Servus Abrahami Rebeccæ, futuræ Iſaaci conjugi, ab-

 ſentis

ſentis ſponſi nomine *Inaures* injecit: *Et poſui inaurem*, inquit, *ſuper faciem ejus, & armillas ſuper manus ejus.* Et paulo ante: *Et factum eſt cum vidiſſet* [Laban] *inaurem & armillas in manibus ſororis ſuæ.* Nimirum non damnabatur uſus *Inaurium*, quas honeſto ornatui ſibi vendicabant ſponſæ, tanquam huic ordini merito convenientiſſimas: Contrarium judicium de eis quibus non niſi ad luxuriæ oſtentationem ſuperbiebant alii utriuſque ſexus. Vtrumque uſum egregie conciliat *Auguſtinus* Tom. IV. Quæſt. in Geneſ. Lib. I. cap. CXI. quem in hunc modum locutum
„accepimus: Quod Iacob aſcen-
„ſurus Bethel, ubi juſſus eſt aram
„facere, dixit domui ſuæ & omni-
„bus qui cum illo erant, tollite
„Deos alienos qui vobiſcum ſunt
„de medio veſtri &c. Deinde di-
„citur & dederunt Iacob Deos





alienos, qui erant in manibus „ eorum, & *inaures*, quæ erant in „ auribus eorum. Quæritur quare „ & *inaures*, quæ ſi ornamenta „ erant, ad idololatriam non per- „ tinebant, niſi quia intelligendum „ eſt phylacteria fuiſſe Deorum „ alienorum. Nam Rebeccam à „ ſervo Abrahæ *inaures* accepiſſe „ Scriptura teſtatur: quod non „ fieret, ſi eis *inaures* habere orna- „ menti gratiâ non liceret. Ergo „ illæ *inaures* quæ cum idolis datæ ſunt, ut dictum eſt, idolorum phylacteria fuerunt. Hactenus *Auguſtinus*. Vnde haud obſcurè apparet licitas fuiſſe, quamdiu intra honeſtatis limites continebatur modicus earum uſus, quæ aliàs, ex monitu *Auguſtini*, inter Deos alienos *Geneſ.* xxxv. reputantur. Inter munera novis Nuptis ab amicis miſſa tale aliquod ornamentum memorat *Claudian.* de Nupt. Honor. & Mar. v. 165.

Inaures Deorum alienorum phylacteria.

Inaures inter munera Nuptialia.

Certatimque novis ornant connubia donis,
Cingula Cymothoë, rarum Galathea monile,
Et gravibus ſpatale baccis diadema ferebat
Intextum, rubro quas legerat ipſa profundo.

Sic & Brachiolum. Cui affine eſt Brachiolum quod novis Nuptis miſſum meminit *Catullus* in Epithal. Iuliæ & Mallii, Carm. 62.

Mitte Brachiolum teres
Prætextate, puellulæ
Iam cubile adeant Viri,
Io Hymen, Hymenæe Io.

Inaures Natalitiæ. Natali die muneris natalitii loco miſſitatas fuiſſe *inaures*, videtur ex *Plauto* colligi poſſe, qui in Epidic. Act. v. Scen. 1.

Ep. *Nonne meminiſti me inaurem ad te afferre natali die?*

Lu-

Lunulam atque anellum aureolum in digitum? VI. Memini, mi homo.

Sed lectionem hanc non approbant alii. *Parens* de Armill. §. VII. hanc lectionem ex nullo veterum aſtrui poſſe monet, quia *inaures* nuſquam natali die muneris loco datæ reperiuntur. *Boxhornius auream* legit, & illum locum ſano ſenſu intelligi poſſe putat, ſi *aurea* cum *Lunula* conſtruatur. Inter *me* & auream eſt lacunula in V. C. unde *Camerarius* ſuſpicatur leg. *minam auream* quæ fuiſſet inſtar aurei Luſitanici, cujus precium aureorum decem. *Meurſius* pro *aurea* corrigit *armeam*, armi ornamentum diminutivè *armilla* dictum.

Plauti locus examinatus.

Regium ornamentum apud nonnullos *inauris* erat, de quo *Lucifer Callaritanus* de non parcendo in Deum delinquentibus, ad

Inaures Regiæ.

ad Conſtantium: *Debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam, & dextrocheria, debemus inſignes, quas eſſe cenſes veſtes tuas, honorare.* Vt alios Reges taceam, qui hoc ornamento inſigniri dignabantur, Indiæ Regibus valde familiare fuiſſe patet apud *Curtium* Lib. IX. qui inter alium Indiæ Reguli cultum: *Pendebant*, inquit, *ex auribus inſignes colore & magnitudine gemmæ.*

Inaures Nobilitatis inſignia.

Inter Nobilitatis puerilis inſignia reliqua recenſentur *inaures.* De bulla & prætexta nihil dicam, cum ex *Plinio* Nat. Hiſt. Lib. XXXII. cap. I. abundè conſtet à Priſco Tarquinio, omnium primo, filium, cum in prætextæ annis occidiſſet hoſtem, bullâ aureâ donatum: unde mos bullæ duravit, ut eorum, qui equo meruiſſent, filii inſigne id haberent, cæteri lorum. Quare appo-

Vti & Bulla.

appoſitè admodum *Iuvenalis* Satyr. v.

--- *Etruſcum puero ſi contigit aurum*
Vel nodus tantum & ſignum de paupere loro.

De cujus origine plura à *Macrobio* peti poſſunt. Idem de *Inauribus* ex *Cœl. Rhodigino* notandum, qui Lection. Antiqu. Lib. III. cap. 29. aurum in auricula geſtare nobilitatis inſigne fuiſſe indicat. Et ante illum confirmat hoc *Madaurenſis* ille de Philoſoph. Lib. I. ubi de Platone ita: *Multi auditorum ejus utriuſque ſexus in Philoſophia floruerunt. Patrimonium in hortulo, qui Academiæ junctus fuit, & in duobus miniſtris & in patera qua Diis ſupplicat reliquit. Auri tantum quantum puer nobilitatis inſigne in auricula geſtavit.* Quorum etiam paucis meminit *Ioſ.*

Laurentius Polymath. Lib. II. Diſſert. III. & XXVII.

Inaures ſervorum. Contrarium uſum apud ſervos obtinebant, ubi ſervitutis notam indigitabant, quippe cum auris perforata perpetuæ ſervitutis ſignum eſſet. Hoc ex Hiſtoria ſacra notiſſimum. *Sulpit. Severus* Lib. I. cap. 31. *Hebræus puer pecunia emptus ſex annis ſerviet, poſt hæc liber erit, ſponte autem permanenti in ſervitute auris forabitur.* Quod inter edicta Dei ad Moſen fuit, ut apparet ex *Exodi* cap. XXI. ubi ſi ſervo Dominus uxorem dederat, finito ſexennio manumittebatur quidem, ſed uxor ejus, & ex ea nati liberi erant Domini: quod ſi amore captus uxoris & liberorum ſuorum, nolebat à Domino diſcedere, afferebat eum Dominus Diis, id eſt, judicibus: Subulâ auris perforata. Eique ad poſtem applicato, ſubulâ aurem perforabat, ut ei perpetuo

petuo ſerviret. Eandemque legem repetitam invenimus *Deut.* xv. v. 15. *Sin autem dixerit* [ſervus manumiſſus] *nolo egredi: eò quod diligat te & domum tuam & bene ſibi apud te eſſe ſentiat: Aſſumas ſubulam & perforabis aurem ejus in janua domus tuæ & ſerviet tibi uſque ad æternum.* Vnde etiam *Pſalmographus*: *aures perforaſti mihi.* Illum ritum Deum ad libertatis ſtudium ingenerandum præcepiſſe, *Cajetani* eſt conjectura, ut ſi non ſervitutem, ſaltem ignominiam publicam horrerent. *Theodoretus* hoc ſortis argumento perpetuam ſub Domino obedientiam ſignificari putat. Hinc magna lux *Petronio*, apud quem *pertuſæ aures Arabibus* tribuuntur, ſcilicet quia ſervi apud Romanos erant. Imo & Pœni cum *annulatis auribus* eandem ob cauſam inducuntur apud *Plautum* Pœnul. Act. v. Scen. 2.

Quare Inaures ſervitutis.

Eodem reſpectu Barbari male audiebant apud Romanos, quippe qui eos ob ſervitutis ſtigma averſabantur. *Lucillius*:

Nequam eſt, aurum aures cujus vehementius ambit.

Servilis conditionis nota.

Aures has pertuſas atque perforatas libertate poſtea donati non tam ſedulo occultare poterant, quin fortè nota illa ſervilis conditionis præteritæ appareret ex fiſſuris aurium vel feneſtris, ut loqui amat *Iuvenalis* Satyr. I. v. 104.

---- *quamvis*
Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint, licet ipſe negem.

Ad quod Vet. *Schol. Arguit homines, qui cum propter libidinem libertatem meruiſſent, & in libertinorum corpus & tribus relati eſſent, pertuſis auribus ſigna libertinorum celare non poterant.*

Alius

Alius adhuc, ſed ſanctior, uſus *Inaurium* in Sacris. *Exodi* xxxv. v. 22. ubi præcepto Sabbatho, inter primitias & donaria alia populus etiam offerebat *inaures: Obtulerunt mente promptiſſima atque devotâ primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi teſtimonii. Quicquid ad cultum & veſtes ſanctas neceſſarium erat. Viri cum mulieribus præbuerunt armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini ſeparatum eſt.* Pari religione *inaures* ad expiationem contulerunt. *Num.* xxxi. v. 50. *Offerimus oblationem Iehovæ, quiſque quod nactus eſt, inſtrumentum aureum, periſcelidem, aut armillam, annulum, inaurem & cingulum pendulum, ad faciendam expiationem pro animis noſtris coram Iehova.*

Inaures in ſacris.

Inaures ad expiationem.

CAPUT VIII.

Inaures quibus gentibus fuerint in uſu.

Inaures plurimarum gentium.

INcrebuit hic luxus paſſim apud plurimas gentes. Certe apud pleraſque inaurium uſum receptum accepimus. Scilicet latius evagabantur hæc luxuriæ vitia & quaſi contagio quodam ad vicinas ſerpſit gentes hæc peſtis, quæ omnium animos, veluti tabes, invaſerat, ut alios luxuriâ ſe priores non paterentur male ſani, & ſolis his ſuperbiæ inſtrumentis nobiles, quanquam in his nobilitatem veram nequicquam quæſierint: Nam probitas ipſa recte Carbunculus dicitur. At propter innatam hanc utrique ſexui luxuriam non immerito vapulant ab iis, qui, cum Chriſto nomen dediſſent, hanc luxuriæ notam

ægrè

ægrè intuebantur. Ita *Zenon* Martyr Serm. 2. de Avaritia: *Ancilla Chriſti falſum idolum reſpuis? mihi crede in te colis, cujus ornatum, cujus imaginem non deponis. Ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, ubique delicata, deque ipſo vultus rigore in oratione non flecteris: non manus tendis, tumidum monilibus pectus proſternere dedignaris. Sane cervicem curvas non religione ſed pondere.* Quem locum optimè illuſtrat icon, in omnibus talis qualis hic deſcribitur, apud *Fortunatum Schackium* Myrothec. II. cap. 77. pag. 765. Quam dicit ſe delineaſſe, juxta Coloſſæam quæ in hortis Pontificiis ad Quirinalem habetur; & eam eſſe fortaſſe Fabiæ Agoniæ Paulinæ; quamvis dubito an potius barbaræ cujuſdam icona dicam. Certe verba *Zenonis* eleganter exprimit,

dum

dum cervicem curvare videtur pondere peculiaris cujuſdam generis vel torquium vel *inaurium*, quæ à capite, ſed obſcuro initio, demittuntur in pectus. Vt cuivis patebit ex ſubjecta icone.



Cæterum, ut ad *Zenonis* verba revertar, tot ſeculorum decurſu confirmatum malum altiores

res egerat radices, quam ut modica oratione debellaretur. Nullam fere antiquis temporibus gentem reputare licet, quæ luxurioſum *inaurium* reſpuit uſum. De Romanis notior res ulteriori non indiget demonſtratione, apud quos ideo peculiariter huic ornatui inſerviebat AVRICVLÆ ORNATRIX, ut alibi ex *Gruteri* Inſcript. probamus. Apud *Plinium* Nat, Hiſt. Lib. IX. cap. 35. Lolia Paulina ſmaragdis margaritiſque operta dicitur, alterno textu fulgentibus toto capite crinibus, ſpiris, *auribus*, collo, manibus, digitiſque. Nec ſoli Romani aurium ornamentis ſuperbiebant, de Græcis teſtis eſt *Iſidorus*, qui Origin. Lib. XIX. cap. 31. earum uſum in Græcia tradit. Et hoc nobilitatis inſigne Athenis fuiſſe, docet *Apuleius* Lib. I. de Dogm. Platon. Cujus rei originem luculen-

Inaures apud Romanos.

Inaurium uſus in Græcia.

Vnde fluxit.

culenter tradit *Dio* Orat. 32. Quippe quum Athenienſibus reſpondiſſet Apollo, ſi vellent bonos viros in civitate provenire, ut optimum quod eſſet puerorum auribus inſererent: Illi autem auriculæ perforatæ aurum inſeruerunt, Dei reſponſo non intellecto. Hoc enim puellas magis decere & Lydorum aut Phrygum pueros, monet memoratus *Dio*. Vlterius crevit hic uſus. Refert *Plinius* Lib. xı. cap. 37. aurum in auribus geſtare Viris in Oriente decus exiſtimari. De Perſis cum plurimos teſtes habeam, nihil opus eſt pluribus verbis commemorare. *Auguſtinus* Tom. ıv. cap. 115. *Perſæ*, inquit, *mulierum more inaures habent, quod hic inhoneſtum & illicitum eſt*. De unione quem RexPerſarum Perozes in expeditione adverſus albos Hunnos è dextra aure detractum abjecit, *Zo-*

Inaures Perſarum.

Zonaras Lib. III. Annal. apud *Zalmuth.* Et idem de Eodem fatetur *Procopius* Lib. I. de bell. Perſ. *Margarita*, inquit, *candore & magnitudine eximia & precioſa ex aure dextra pendebat.* Apud Parthos hunc uſum *Inaurium* aſſeverat *Tertullianus*, quanquam non probet, de Cultu Fœminar. cap. 10. Eaſdem Áſiaticis & Orientalibus pleriſque tribuit Chares apud *Athenæum* Deipn. Lib. III. *Ex unionibus fiunt Inaures, monilia & armillæ brachiorum, pedum ornamenta, apud Medos, Perſas, & Aſiaticos omnes pluris æſtimata, quam quæ ex auro conficiuntur.* De Medis non dubitamus, cum evidens inſuper locus ſit apud *Agathiam* de Bello Gothico Lib. III. qui ita per interpretem *Chriſtoph. Perſonam: Non enim ſcuta duntaxat, thoraceſque & pharetras eorum, qui ceciderunt, quidam geſtabant, ſed*

Inaures apud Parthos.

Inaures Medorum.

ſed aureos etiam circa collum torques, & ex auribus pendentia ornamenta, ac ejuſmodi cætera effœminatorum varia & ſupervacanea opera, quibus Medorum Primores præcipue decorantur, ut ſpectatiores cæteris ſint & à vulgaribus aliis noſcitentur. Erant plurimi tali luxuriæ vinculo confœderati, ut ad Mauros hic *inaurium* uſus tranſierit, monente *Auguſtino* Tom. IV. Quæſt. in Geneſ. cap. 115. Quare apud Romanos, cum *Cicero* in auribus omnium gentium poſitam virtutem voluerit, earundem perforatio quaſi Barbariæ exprobratio fuit. Sic apud *Xenophontem* ἀναβάσεως γ. narrat quidam ſe vidiſſe aures Apollonidis quæ ambæ eſſent, inſtar Lydorum perforatæ; unde apud eoſdem uſum *inaurium* haud obſcurè deprehendimus. De Babyloniis idem *Iuvenalis* Sat. I. v. 104.

Apud Mauros inaurium uſus.

Apud Lydos,

Babylonios,

Na-

Natus ad Euphratem, molles quod in aure feneſtræ
Arguerint.

Afris autem uſitatiſſimum id fuiſſe luculenter Ciceronis ſcomma oſtendit apud *Macrobium* Saturn. Lib. VII. cap. 3. *Octavius, qui natu nobilis videbatur, Ciceroni recitanti ait, Non audio quæ dicis, ille reſpondit, certe ſolebas bene foratas habere aures. Hoc eò dictum eſt quod Octavius Lybia oriundus erat.* Macrino Imperatori aurium alteram fuiſſe perforatam, Maurorum ritu, à quibus erat oriundus, refert *Dion. Caſſius* Lib. LXXXVIII. Eandem aurium notam habuiſſe Arabas, clarus teſtis eſt *Petronius* in Satyrico: *Itaque tanquam ſervi Æthiopes & præſto tibi erimus, ſine tormentorum injuria hilares, & permutato colore imponemus inimicis. Quin tu, inquit Giton, & circumcide nos* Afros. Inaurium uſus apud Arabas.

ut

ut Iudæi videamur: & pertunde aures, ut imitemur Arabes, & increta facies ut ſuos Gallia cives putet. Quem locum ita tranſcripſiſſe videtur *Iſidorus Hiſpalenſis*: *Nonnullæ etiam gentes, non ſolum moribus, ſed & veſtibus aliqua ſibi propria vindicant, circumcidunt Iudæi præputia, pertundunt aures Arabes, Mauros habet tetra nox corporum, Gallos candida cutis.* Nec id apud ſolos Arabas ſervi patiebantur, ſed idem de Pœnis aſſentiri arbitror *Comicum*, nam Pœnul. Act. v. Sc. 2. Milphio ſervus Pœnos conſpiciens:

Apud Pœnos.

Viden homines ſarcinatos conſequi
Atque ut opinor digitos in manibus non habent.
AG. *Qui jam?* MIL. *Quia incedunt annulatis auribus.*
Adibo ad hoſce atque compellabo Punicè.

No-

Notum eſt hos & Arabas cum Libybus Romæ inter ſervitia habitos & Barbaros appellatos; unde forſan apud *Tertullianum* Lib. de Veland. Virg. *Crobyli Barbarorum.* Vbi *Rhenanus* in prima editione putavit legi debere, *ſcrobuli*, aurium foramina, per quæ Barbari trajiciunt gemmas & annulos, quia diminutiva vox eſt à *ſcrobe*; in altera autem editione reponit *ſtrobulos*, quod Græcis pineam nucem ſignificat, geſtamen ex auro Barbarorum. Idemque apud eundem *Tertullianum* Lib. de Fœm. Cult. pro, *Scrupuloſa Deus auribus vulnera intulit*, maluit legere *ſcrobuloſa.* Sed *ſcrobulos* illos à *Rhenano* Barbaris aſſignatos, non niſi commentitios vocat, adeoque eam emendationem deridet, *Hadr. Iunius* Animadv. Lib. II. cap. I. & antiquam lectionem defendit: *crobylos Barbarorum*, quia authori-

Tertullianus emendatus.

Scrobuli.

Rhenani lapſus.

Croby- lus quid? thoribus plurimis crobylus eſt crinium plexus in acumen deſinens; de quo *Thucydides* Libr. I. & *Lucianus* in Navigio. *Inaures* Inaures apud Turcas. nec à Turcis exulabant. *Ioh. Bapt. Montalbanus* in republ. Turcar. de ordinibus Monachorum ſeu religioſorum apud Turcas, refert quod plurimi Iuvenes, robuſti, divites, Aphricam, Ægyptum, Arabiam, Perſiam, Turciam omnem alieno ſumptu ſub prætextu religionis pervagentur, & inter alia veſtimentorum genera, *inaures* argenteas, vel æreas vel ex alio quovis metallo Apud Chinenſes. habeant. Quin & ad Chinenſes, qui parci aliàs alienæ luxuriæ imitatores proprio ſe modulo metiuntur, penetravit hic uſus. Et quamvis annulos reſpuant, ornamenta tamen aurium admittunt, ſicut teſtis eſt *Nic. Trigautius* in Republ. Chinenſi.

Longè antiquiorem uſum inaurium

aurium repeto ex ſacris monumentis apud Iſraëlitas olim, *Exod.* XXXII. v. 2. *Dixitque ad eos Aaron, tollite inaures aureas de uxorum filiorumque & filiarum veſtrarum auribus, & afferte ad me. Fecitque populus quæ juſſerat deferens inaures ad Aaron. Quas cum accepiſſet, formavit opere fuſorio & fecit eis vitulum conflatilem, dixeruntque, Hi ſunt Dii tui Iſraël.* Idem nos edocent vindiciæ divinæ quæ refractario populo imminent apud *Eſaiam* cap. III. v. 16. ubi inter alia ornamenta filiarum Iſraël *inaures* etiam ablaturus eſt Dominus. Iſmaëlitas *inaures* geſtare ſolitos deprehendo ex eis, quas Gedeoni dederunt atque conceſſerunt, ſed uſui ipſis omnibus pernicioſo, *Judic.* cap. VIII. v. 24. ubi additur: *Inaures autem aureæ erant iis, quia Iſmaëlitæ erant.* Optime hic *Druſius* per Iſmaëli-

Inaures apud Iſraëlitas.

tas Madianitas intelligit, cum nomine ſtrictius accepto ſic vocarentur, erant quippe omnes Madianitæ etiam Iſmaëlitæ, at non è contrario. Quod optime illuſtrat Hiſtoria Ioſephi *Geneſ.* XXXVII. v. 28. ubi qui eum emerunt à fratribus modo Iſmaëlitæ vocantur, modo etiam Madianitarum nomine indigitantur: *Acquieverunt fratres ſermonibus illius & prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de ciſterna, vendiderunt eum Iſmaëlitis.* Qui Madianitæ ex filiis erant Ketura, quam eandem eſſe putat *R. David* cum Hagar, unde Hagareni, qui & Iſmaëlitæ & Arabes.

Inaures apud Madianitas.

Iſmaëlitæ iidem qui Madianitæ.

Hagareni, qui?

Vltimæ etiam, non Thule, ſed Indiæ eadem ſors. Quippe *inaurium* uſum apud Indos tradit *Curtius* Lib. VIII. cap. 9: *Lapilli*, inquit, *ex auribus pendent; brachia quoque & lacertos auro colunt*,

Inaures Indorum.

colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent. Idem confirmat Lib. IX. cap. I. de Indiæ Regulo, ubi ſingula Indicæ luxuriæ prodigioſa inſtrumenta perſequitur, & addit *ex auribus pendere inſignes candore & magnitudine lapillos.* Nec tractu temporis hic mos exolevit, ſed hodieque obſervare eſt, quem ex oculatis teſtibus referam. *Guilielm. Piſo* de Med. Braſil. Lib. I. de viris pariter ac fœminis aſſeverat, quod lapillos viliſſimos & longiſſimos perforatis à prima infantia auriculis, tum labiis inferioribus & maxillis inſerant. Suffragatur etiam *Georg. Marcgravius* Lib. VIII. de Region. & indig. Braſilienſ. cap. 6. ſed aliam notat *inaurium* harum materiam, priori non minus ridiculam. Rem illuſtrabit icon Indorum, quam in India expreſſam à Dn. *Ioan. Braine* Amſtelodamenſi harum

rerum indagatore indefeſſo habeo.

Dum in externis moror, incidi in rem domeſticam. Ne quicquam in India quæram, quod olim etiam in Patriæ moribus ſitum reperio. Nimirum apud Danos veteres, honeſtum ornamentum non denegatum eſt Matronis, quæ tamen illo non tanquam luxuriæ documento ſuperbiebant, ſed potius veluti ſignum matronalis munditiei, ſed honeſtæ, reputabant. Teſtis eſt Patriæ hiſtoriæ conditor & vindex optimus *Saxo Grammaticus* Hiſtor. Danic. Lib. x. ubi matronæ Danicæ Suenonem Regem ornamentis his à captivitate Sclavica liberant: *Sueno virili defectus auxilio, fœmineum expertus eſt. Nam cum exhauſtis regni opibus, ne aurum quidem redemptioni ejus ſuppetere videretur, tanta ei matronarum humanitas affuit,*

Inauritium uſus apud Matronas Danicas.



affuit, ut detractis aurium inſignibus, cæteroque cultu certatim digeſtam pondere ſummam explerent, plus commodi in ſalute Principis, quam ornamentorum ſuorum ſpecie reponentes. Quis eas non miretur, quæ eis artibus ſalutem Regis quæſierant, quibus abutuntur aliæ, divitias atque ſuperbiam bono honeſtoque potiora habentes, dum fas atque nefas exiguo fine libidinum diſcernunt, & omnia licita & non licita juxta æſtimant, dummodo luxu diffluant. Has ego mollitie fluentes ſecus ac Matronas Danicas, nimium felices malo ſuo dixerim.

CA-

CAPUT IX.

Inaures Brutorum Animalium.

HÆc ſuperbiæ inſtrumenta non ſibi ſoli retinebat prodiga illa luxurioſorum turba, ſed Brutis etiam communicabat quæ ſua erant, ut ſecum pari paſſu ambularent. Factum hoc vel in iis quæ Diis conſecrata ſunt ad majorem ſive oſtentationem ſive venerationem; vel in aliis, quæ peculiari & ſane ridiculo amore proſequebantur his affectibus male ſanis irretiti. De Elephantis hoc legimus, ſed DIS conſecrandis. Dignum ſuggerit locum *Philoſtratus* de Elephanto Alexandri Soli dicato. Ita enim ille Lib. II. de Vita Apollon. c. 6. per interpretem *Zenobium Acciolum* : Eſſe autem illi torques

Inaures Elephanti ſoli dicati.

aureos circa dentes, ſeu cornua libeat appellare, & in torquibus literas græcas inſculptas hæc verba referre: *Alexander Iovis filius Ajacem Soli*, hoc enim Ajacis nomen ipſe Elephanto impoſuit. Pro *torquibus* in Græco legitur, ἕλικες, quod de *inauribus* intelligendum cenſeo, cum præter alios conſentiat *Pollux* Onom. Lib. v. cap. 16. Περὶ δὲ τοῖς ὠσὶν, ἕρματα, δρόπας, ἐλλόβια, ἐνώτια, ἕλικας, &c. Meæ etiam ſententiæ faventem habeo *Scefferum*, qui Comm. de Torqu. hoc de circulis in auribus exponendum potius putat, quia apud memoratum *Philoſtratum* additur περὶ τοῖς ὀδοῦσιν, nec enim illud περὶ, niſi de circulo qui cornu ſive dentem ambit intelligitur. Cervi eodem gaudebant in ornamentis aurium privilegio. De illo qui Nymphis ſacer habebatur teſtis luculentus eſt *Ovidius* Metamorph.

Cervorum Inaures.

morph. Lib. x. Fab. III. verſ. 109:

Namque ſacer Nymphis Carthæa tenentibus arva
Ingens cervus erat: lateque patentibus altas
Ipſe ſuo capiti præbebat cornibus umbras:
Cornua fulgebant auro: demiſſaque in armos
Pendebant tereti gemmata monilia collo:
Bulla ſuper frontem parvis argentea loris
Vincta movebatur: parileſque ex ære nitebant
Auribus è geminis, circum cava tempora baccæ.

Vt Sylvarum Nymphis, ita Dianæ, quæ Nemorenſis & Venatrix audiebat, merito Cervos ſacratos legimus, quibus ad cultus majorem devotionem *inaurium* additum ſignaculum. De Cervi Dianæ ſacrati cum Inauribus.

Diomede *Author* Mirabil. auſcultationum: *In Peucetinis ajunt templum eſſe Dianæ, in quo locatum eſt celebre illud æreum ſertum* [χαλκὴν ἕλικα author ipſe vocat, quod à Polluce recte auribus tribuitur] *inſcriptione hac inſignitum: Diomedes Dianæ. Id narrant ab eo collo Cervino appoſitum accreviſſe, atque deinceps hoc pacto inventum ab Agatocle Siculorum rege in Iovis templum locatum.* Vbi ipſas *inaures* Diis ſacratas & in Eorundem templis ſuſpenſas patet. Pertinent ad Brutorum *inaures* Torques, quos Alexandrum cervis indidiſſe refert *Plinius* Hiſt. Nat. Lib. VIII. c. 32. De quibus videatur *Schefferus* de Torquibus. Cœterum inaurium notam addidere Brutis ut in iis quæ Diis conſecrata erant, hoc gnoriſmate præcaveretur, ne quis rei ſacræ violatæ reus foret, quamvis inſcius, in prophanis autem,

Inauribus quare Bruta ornata.

autem, ut hoc ſigno recognoſci & jure repeti poſſent, quæ præ feritate nimia aufugiſſent, ut demonſtrat *Grotius* Lib. II. de Iur. Bell. c. 8. §. 3.

Boum etiam auriculas fibula vel circulo ſignatas tradit *Columella* Lib. VI. c. I. quicquid ex melioribus libris de *ſubula* referant alii, parum ad ejus verba, quæ ita ſe habent: *Æneâ fibulâ pars auriculæ latiſſima circumſcribitur, ita ut manente ſanguine tanquam O literæ ductus appareat orbiculus.* Haud obſcurè idem innuit *Vegetius* de Veterin. Lib. III. cap. 11: *Ad acum vel acutum cuprinum pars auriculæ, quæ lata eſt, quaſi circulo ſignatur.* Boum auriculæ circulo ſignatæ.

Nec quadrupedes ſoli hæc aurium ſive ſignacula ſive ornamenta ſibi vendicare poterant, ſed idem de piſcibus obſervo, qui in delitiis habebantur. Refert *Plinius* Natur. Hiſt. Lib. IX. Inaures Piſcium.

Inaures Murænæ. cap. 55. de Antonia Druſi, quæ Murenæ, quam diligebat, *inaures* addidit, cujus propter famam nonnulli Baulos videre concupiverunt. De Muræna Craſſi, quam mortuam flevit & ſepelivit, idem notat *Dalechampius* ad *Plin.* Lib. XXXII. cap. 2. In Labrondæi Iovis fonte piſces *Inauribus* ornatos teſtis eſt *Ælianus* Hiſt. Anim. Lib. XII. c. 30: *Sunt & piſces in templo Iovis Labrondæi, ubi fons nitidus, monilibus & aureis inauribus ornati.* Hoc genus piſcium anguillas fuiſſe conſtat ex

Inauribus anguillæ ornatæ. *Plinio*, qui Nat. Hiſt. Lib. XXXII. cap. 2. Anguillarum meminit, quas in Labrodii Iovis fonte *inaures* gerere refert: *E manu*, inquit, *veſcuntur piſces in pluribus quidem Cæſaris villis: ſed quos veteres prodidere in ſtagnis, non piſcinis, admirati, in Eloro Siciliæ Caſtello, non procul Syracuſis; item in Labrodii Iovis fonte anguillas:*

las: hæ & inaures additas gerunt. Ejuſdem rei author eſt *Athenæus* ſub initium Lib. VIII. Deipnoſ. de Anguillis aureis argenteiſque *inauribus* ornatis. Ad hanc claſſem referri poſſet ſimilis piſcis, qui temporibus Ferdinandi I. captus in ſtagno Heilbrunnenſi, & circa branchias circulum habuit ex ære cyprio, cui nomen ejus inſcriptum qui primus in ſtagnum immiſiſſet.

CAPUT X.

Inauribus Statuæ Deorum Dearumque ornatæ.

Eædem ſepulchris illatæ.

IN creatis ad Dei imaginem hominibus talia luxuriæ adminicula ægre ferebant Chriſtiani Veteres, qui talem membrorum abuſum ſanguine viperino cau-

tius vitabant. Voluit id *Hieronymus* Epiſt. ad Lætam: *Nec collum auro & margaritis premas, nec caput gemmis oneres*. Eâdem conſtantiâ Virgines hortatur *Cyprianus* de Habitu Virgin. ne auribus vulnera inferrent, nec brachia includerent aut colla de armillis & monilibus pretioſis catenis. Scilicet indignum putabant pretioſa corporis membra, animæque vel domicilia vel miniſtra vili metallo vulnerare & ſplendenti luto onerare non talia ad munia facta. Vapulant haud immerito à *Tertulliano*, qui de cultu Fœmin. cultum hunc proſcribit & æterno condemnat exilio: *Scrupuloſa Deus auribus vulnera intulit: & tanti habuit vexationem operis ſui, & cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, ut ex illis ad ferrum nati corporis cicatricibus, grana neſcio quæ penderent*. Nimirum talibus admonitionibus

Chriſtianorum in inaures invectiva.

tionibus

tionibus clauſæ Paganorum aures, quamvis *bene forata* eſſent, & ipſo credo *inaurium* pondere; nec turpe putabant ſibi licere ea quæ Diis ſuis, ſed fictitiis, conferebant. Notat ad Lib. I. Æneid. *Virgil. Servius*, apud Sigæum Achillis ſtatuam fuiſſe, quæ in ima auris parte elenchum more fœmineo habuerit. Ante *Servium* evidenter hoc confirmat *Tertullianus* Lib. de Pallio; *Aurem quoque foratu effeminatus, quod illi apud Sigæum ſtatua ſervat.* Crediderim ſtatuam hanc Achillis intelligendam, quam apud Sigæum *inauribus* ornatam ſupra *Servius* monuit, id quod *Tertullianus* dixit, *aurem foratu effœminatus.* Hæc enim receptiſſima *Tertulliani* lectio, de qua nullum dubium, pleriſque ſervatur. Aliter tamen Polyhiſtor Magnus *Salmaſius* renovat. *Aurem quoque foratu effœminatus,*

Inaures Deorum.

Achillis ſtatua elenchis ornata.

Tertullianus emendatus.

quod illi apud Sigaum ſtrongyla ſervat. Pro *ſtatua* legit *ſtrongyla*, ſed eodem res recidit. Quippe ſtrongylam vocat ſtatuam pectore tenus, quæ ſcuto rotundo continebatur. Inter Deas, Veneris ſtatuam *inaurium* lapillis decoratam animadverto. Vnde mirari convenit occcæcatos Paganos miſerrimos, quod ſtatuas inanimatas, à quibus ſuam credebant pendere ſalutem, talibus ornamentis demereri voluerint. De Cleopatræ unione nemo eſt qui non Iliadas noverit. Pretioſa illa ingluvie inductus *Barbarus* Corollar. in *Dioſcorid.* Lib. v. cap. 115. tres fœminas ait lapidem illum Philoſophorum compoſuiſſe, Cleopatram, Taphuntiam, & Iudææ gentis Mariam. Cleopatra Antonium ſponſione provocaverat unica cœna conſumere ſe poſſe ſeſtertiûm centies. Dicto fidem fecit unius auris

Strongyla quid?

Inaures Statuæ Veneris.

auris unione aceto ſoluto & deglutito. Alterius auris unio monſtroſæ magnitudinis Veneris ſimulachro in templo Pantheo ſacer ceſſit. Fuſè hiſtoriam perſequitur *Macrobius* Saturnal. Lib. III. cap. 17. ubi addit: *Ipſe autem unio cujus magnitudinis fuerit, inde colligi poterit, quod qui ſuperfuit poſtea victa Regina & capta Ægypto, Romam delatus diſſectuſque eſt, & factæ ex una margaritæ duæ, impoſitaque ſimulachro Veneris, ut monſtroſæ magnitudinis in templo quod Pantheum vocatur.* Nec aliter *Plinius*, qui ubi pluribus totam hujus rei hiſtoriam circumſcripſit Lib. IX. cap. 35. de Veneris *inauribus* conſentit: *Comitetur fama unionis ejus parem, capta illa tantæ quæſtionis victrice Regina, diſſectum, ut eſſet in utriſque Veneris auribus Romæ in Pantheo dimidia*

dia eorum cœna. De Alexandro Severo idem conſtat, qui Reginæ ſuæ, ut luxuriæ hanc notam evitaret, uſum unionum interdixit, qui à Legato quodam oblati erant: Et eos *inauribus* Veneris dedicavit. De quo ita *Lampridius*: *Quum quidam Legatus uniones duos uxori ejus per ipſum obtuliſſet magni ponderis & inuſitatæ menſuræ, vendi eos juſſit: qui quum pretium non invenirent, ne exemplum malum à Regina naſceretur, ſi eo uteretur quod emi non poſſet, Inauribus Veneris eos dicavit.* Quibus affine eſt monile, quod Fortunæ Tuſculanæ deſtinatum Veneri Capitolinæ dedicavit Galba, ſicut fidem facit *Suetonius* in Galb. cap. 18. Et apud *Juſtinum* Lib. xx. cap. 4. author fuit Pythagoras ut Crotonienſes matronæ auratas veſtes, cœteraque dignitatis ſuæ ornamenta, velut inſtrumenta luxuriæ,

Monile Veneri Capitolinæ dedicatum.

riæ, deponerent, eaque omnia delata in Iunonis ædem ipſi conſecrarent. De Minerva idem affirmare auſim. Quippe vel Iovem lapidem jurarem per *aures argenteas* apud *Gruterum* Minervæ dedicatas non niſi *inaures* intelligi debere. Ita enim Inſcript. pag. MLXVII.

Inaures Minervæ.

Inſcriptio Antiqua illuſtrata.

MINERVÆ. AVG.
L. CALLIDIVS. PRIMVS
BRIXELLANVS. EX. ARG.
LIB. II. ITEM. L. CALLIDIVS
PRIMVS. AVRES. ARGENTEAS
V. S. L. M.

Crediderim vel errore ſculptorum *aures* pro *inaures* poſitas, vel etiam *aures argenteas* dictas eſſe pro auribus, argenteis *inauribus* ornatis, utpote quæ ex argenti libris duabus conflatæ dicuntur.

Inaures etiam in ſepulchra illatas

Inaures in ſepulchra illatæ.

latas judico ex *Arriano*, apud quem Lib. VI. Cyri ſepulchro condita feruntur καὶ στρεπτοὶ καὶ ἀκινάκαι, καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λίθων κόλλητα, *torques*, *acinaces*, *inaures ex auro & gemmis*. Et de armillis idem notat *Parens* Sched. §. VII. quas uxores à ſponſis datas, in æternam gratæ copulæ memoriam, in ſepulchra ſibi voluerunt inferri. Pari forſan ratione in luctu Matronæ Romanæ ornamenta ſua & bullas atque prætextas liberorum in rogum conjecere, ut in Cæſaris funere refert *Suetonius* cap. 84.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

MAN-

MANTISSA
EX
THOMÆ BARTHOLINI
Miſcellaneis Medicis
DE
MORBIS BIBLICIS,
CAP. XIX.
De Annulis Narium.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1893

EX TH. BARTHOLINI DE MORBIS BIBLICIS,

Cap. XIX.

De Annulis Narium.

DIſputat de eo *Io. Langius* Lib. II. Epiſt. 34. an Dæmones humana corpora morbis affligant, exorciſmo obtemperent, qua denique methodo tales morbi curentur? Laus Deo, quod inſolita ſit noſtro tempore iſta infelicitas, cum vix ſingulis ſeculis unus alterve à Dæmone obſeſſo affligatur. Me puero, Coagii celebri Zelandiæ noſtræ urbe, quidam miros Satanæ experiebatur inſultus, ut etiam per aërem ſubinde raperetur, quem inviſere ex Sacerdotibus

tibus nemo audebat niſi integram vitam traduxerat, exprobrabat enim obſeſſus quicquid conſcientia occultavit. Inter Iudæos numerus Dæmoniacorum inſolitus fuit, & ſæpè in ſacro Euangelio occurrit, ſive quod præter modum artibus magicis dediti Dæmonem advocaverint, ſive quod ſummæ impietatis hanc pœnam meruerint à vindice Jehova. *Joſephus* narrat, quo modo obſeſſi à Dæmone curarentur à Iudæis. Vidit namque Eleazarum Iudæum in exercitu Veſpaſiani, curantem Dæmoniacos hac methodo: Ingerebat naribus obſeſſi annulum, ſub cujus ſymbolo radix à Salomone indicata continebatur, quo de naribus educto, ſimul Dæmonium obſeſſi emunxit, ac æger langvore in terram concidit: & Eleazar carminibus Salomonis Dæmonem adjuravit, illique per ſacra edixit,

edixit, ac vetuit, ne in priſtinum ſuum ergaſtulum rediret. Ac ut obſeſſum ſpiritu maligno liberatum teſtaretur, ponebat coram obſeſſis calicem aut pelvim aqua refertam, quam ut egreſſus ab homine ſubverteret, Dæmoni jam exauctorato imperabat. Hodie nonnunquam obſeſſi à Dæmone creduntur, qui vel Epilepſia correpti vel melancholico ſucco abundantes, ludos varios Satanæ mentiuntur. In Epilepſia ſimilia Dæmoniacorum viſuntur ſymptomata, variis motionibus miri ſpectaculi ſpeciẽ præbentia. Et quod in Euangelio legimus, in flumina vel mare cadentes, ex altis locis præcipites dantur, ſicut prodidit *Cælius Aurelianus* l. 1. Chron. c.4. Vidimus Patavii eoꝫ qui tanquam obſeſſi flagellabantur, curatos à *Io. Dom. Sala* Med. Magno, pro Epilepticis vel melancholicis. Expurgandus enim

in his ater humor, qui cerebri ideas turbat, & vellicantes cerebrum acres liquores educendi. Quanquam nec flagella damnentur, quæ calorem excitare valent, & mentem à deviis revocare, de quibus nos poſt *Meibomium* plura diximus Epiſt. *de Flagrorum uſu in Medicina.* De annulo naribus obſeſſi indito, quæ Eleazar apud *Ioſephum* exhibuit, præſtigiæ meræ ſunt. Annulus quidem S. Eduardi Regis Angliæ comitiali morbo laborantibus ſalutaris fuit, de quo videndus *Kirchmannus* de Annul. c. 21. ſed ſuſpicio eſſe poteſt, ex ungula alcis confectum vel aliis quæ ſingulari virtute Epilepſiam curant. Annulos aliàs naribus appendebant Iudæi ornamenti cauſa vel memoriæ, quod in Schedio noſtro *de Armillis* expoſuimus. De hoc argumento conſultus *Io. Buxtor-*

fius

ſius Iunior, Baſileæ olim amicus noſter, Cl. *Rhodii* in gratiam, cum de fibula commentaretur, prolixum reſponſum dedit, quod meretur publice hic legi:

Primò quidem Nomen Hebraicum, quo *Annuli Narium* deſignantur, de quibus quæris, vocatur illud נֶזֶם *Neſem*; in plurali נְזָמִים *Neſamim*, & נִזְמֵי *Niſme*. Etymologia hujus nominis incerta: quia, cum communiter Nomina apud Hebræos à Radicibus certis ſeu verbis deſcendere ſoleant, nullum autem verbum apud Hebræos ſit in uſu, unde hoc nomen derivari, & ratio ſignificationis ejus cognoſci poſſit. Analogiæ ratione primitivum ejus deberet eſſe נָזַם *Naſam*: ſed nullibi extat. Sunt, qui per Methateſin literarum referant ad זָנָה *Sanah*, quod *ſcortari* ſignificat: quaſi ſit Monile, quod palam in fronte, nari-

bus vel auribus proſtat ad emerendum gratiam. Sed coacta eſt hæc etymologia. Et cum ſanctiſſimas etiam fæminas legamus hoc ornamenti genere uſas, abſit, ut ab impudico illud verbo deducamus. Si conjecturis indulgere vellemus, commodius multo deduci poſſet à verbo affini זַם *Sam*, vel זָמַם *Samam*, quod *Capiſtrare*, *Frænare*, *Refrænare* ſignificat: unde זְמָם *Semam* eſt *Capiſtrum*, *Frænum*. An ergo forte נֶזֶם *Neſem*, ornamenti illud genus ſic dictum, quod cum זְמֶם *Semem* vel *Semam* Fræno vel capiſtro Equorum & jumentorum aliquam ſimilitudinem haberet. Sanè interpres Latinus Paraphraſeos Chaldaicæ Cant. 1. v. 10. ubi legitur, *Verba legis eſſe Iſraelitis ſicut* זְמָמִים Semamim (fræna) *in maxillis eorum, ut non recedant à via recta*; ille, inquam, Interpres vocem זְמָמִים

Sema-

Semamim (fræna) reddidit: *Sicut inaures*, affinitatem originationis inter has duas voces agnoſcens.

Secundò, utile eſt & è re omnia Scripturæ loca inſpicere & conſiderare, in quibus vox hæc occurrit. Sunt autem ſeqq.

I. Geneſ. 24. 22. dicitur de ſervo Abrahæ: *Protulit Vir* Neſem auream, *ſemiſſis pondus ejus:* & v. 30. *Cum vidiſſet* Neſem *Laban.* Et v. 47. dicit ſervus ille in eadem Hiſtoria: *Et poſui* Neſem *ſuper nares ejus, & armillas ſuper manus ejus* (ſc. Rebeccæ.)

II. Geneſ. 35. 4. dicitur de familia Iacobi: *Dederunt itaque ipſi (Iacob) omnes Deos alienos qui erant in manu ſua, &* Neſamim, *quæ erant in auribus ipſorum.*

III. Exod. 32. v. 2. 3. de Aharone vitulo conflaturo: Et dixit illis (Iſraëlitis) Aharon: *Separate* Niſme *aureas, quæ ſunt in auribus uxorum veſtrarum, fi-*

liorum veſtrorum, & filiarum veſtrarum, atque afferte ad me. Separaverunt igitur omnis populus נזמי Niſme *aureas, quæ erant in auribus eorum, & attulerunt ad Aharon.*

IV. Exod. 35. v. 22. de populo Iſraëlitico ſpontaneas oblationes ad opus tabernaculi offerente: *Venerunt viri cum mulieribus, omnis ſpontaneus corde, & attulerunt fibulas, &* Neſamim, *& annulos, & dextralia*, &c.

V. Iudic. 8. verſ. 24. 25. 26. Dixit præterea ad eos Gideon: *Poſtulabo à vobis poſtulationem, ut detis mihi quiſque* neſem *ſpoliorum ſuorum*: *Nam* niſme *auri vel aureæ erant eis*: *quia Iſmaëlitæ erant*, (ſpoliati ſc. vel capti ab Iſraëlitis) *Et dixerunt, dando dabimus. Et expandentes veſtimentum, projecerunt illuc quiſque* neſem *ſpoliorum ſuorum. Fuit autem pondus* niſme *auri vel aurearum*

mille

mille & ſeptingentorum aureorum &c.

VI. Iobi 42. 11. *Dederunt quoque* (amici Iobi) *ei* (Iobo) *quiſque agnum ſuum* (vel, numum agni imagine ſignatum) *& quiſque* neſem *auream unam.*

VII. Proverb. 11. 22. *Sicut* neſem *auri in naribus porci: ita eſt mulier pulchra, & deficiens conſilio.*

VIII. Proverb. 25. 12. *Ut* neſem *auri, & ornamentum obryzi eſt, qui arguit ſapientem, cui eſt auris obtemperans.*

IX. Ieſa. 2. 21. inter ornamenta filiarum Hieroſolymitanarum recenſentur *Niſme* narium.

X. Ezech. 16. v. 12. *Dedi* neſem *ſuper nares tuas, & inaures in auribus tuis, & coronam gloriæ in capite tuo.*

XI. Et Hoſeæ 2. 15. *Et viſitabo ſuper eam* (Eccleſiam Iſraëliticam apoſtaticam) *dies Baálim,*

quibus adolebat thus & ornabat ſe niſmah *ſuâ.*

Ex conſideratione & collatione horum locorum Scripturæ ſequentia videntur colligi:

Primò. Neſem ornamenti genus fuiſſe, primariò quidem & propriè fæminarum, ſecundariò autem & quandoque etiam virorum, argumento locorum Exod. 32. Exod. 35. Iudic. 8. Jobi 42. 11.

Secundò, materiam fuiſſe *Aurum.*

Tertiò, Adhibitum vel applicatum fuiſſe *Naribus*, Geneſ. 24. 47. Prov. 11. 22. Ieſa. 3. 21. Ezech. 16. 12. & *Auribus* Gen. 35. 4. Exod. 32. 2. 3.

Quartò, Iſmaëlitis ſeu Arabibus in frequenti uſu fuiſſe, Iudic. 8. 24. unde Vulgatus Latinus Interpres illic reddidit: Inaures enim aureas Iſmaëlitæ habere conſueverant.

Sed

Sed & *Verſiones* & Expoſitiones Veterum, præſertim Interpretum ſunt conſiderandæ & videndæ:

LXX. Græci in omnibus adductis locis tranſtulerunt Ἐνώτιον *Inaurem:* præterquam Iob. 42. v. 11. ubi verterunt, Καὶ τετρά-δραχμον χρυσοῦν ἄσημον ἕν. Symmachus interpres Græcus reddidit ἐπίῤῥινον, & ἐπιῤῥίνιον ornamentum naſi.

Vulgatus: *Inauris.* Sed Prov. 11. 12. *Circulus aureus.* & Eſa. 3. *Gemmas in fronte pendentes.* Ezech. 16. 12. *Et dedi inaurem ſuper os tuum*, Geneſ. 24. 27. *Suſpendi itaque inaures ad ornandam faciem ejus.*

In his verſionibus obſervandum, abſurdum videri, quod Græci & Latinus *Inaurem*, h.e. ornamentum aurium, tribuant vel naſo, vel fronti, vel ori. Factum eſt id ab eis non propriè

ſumptâ voce, ſed καταχρηστικῶς, cum propria vox non eſſet in promptu ornamento iſti exprimendo. Hinc & recentiores per vocabulum generalius, *Monile* ſunt interpretati. Hinc eſt, quod *D. Hieronymus* ſcribit Ezech. 16. *Verbum Hebraicum* Neſem, *excepto Symmacho, qui interpretatus eſt* ἐπιῤῥίνιον *omnes* inaurem *tranſtulerunt, non quod* Inaures *ponantur in naribus, quæ ex eo, quod de Auribus pendeant*, Inaures *vocantur; ſed quod circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.* Itaque Ἐνώπιον, & *Inauris* non propriè vim & ſignificationem vocis Hebraicæ exhibent: ſed partim propter defectum vocis commodioris: partim propter ſimilitudinem cum Anulis aurium.

Lu-

Lutherus Germanicè reddidit, Spangen/Ohren Spangen: Stirnband (Iud. 8. Prov. 25.) Gulden Haarband / Prov. 11. Ieſ. 3. Stirnſpang.

Vbi exiſtimo illum non benè reddidiſſe Stirnband / Haarband: non enim fuerunt ipſæ *vitta*, vel Stirnband / aut Haarband / ſed circuli vel Annuli ex illis dependentes, uti videtur: niſi forte ipſæ vittæ vel faſciæ unà cum annulis fuerint.

Iudæi in Verſionibus ſuis Germanicis reddunt, Naſsband.

Chaldæi interpretes קְדָשַׁיָּא. *Kodaſchaja*, q. d. Monilia Sponſalitia, qualia Sponſus Sponſæ dare ſolet. In Talmud Hieroſolymitano Tractatu de Sabbatho c. 6. fol. 8. col. 2. explicatur *Neſem* ex loco Ieſa. 3. per דבר שהוא נתין אלגב חוטם *Aliquid quod ponitur ſupra naſum.*

Rabbi Abraham Aben Eſra Hiſpanus ad Geneſ. 24. 22. ſcribit : באזן שנזם שהוא באף גם *Eſt* Neſem , *quod applicatur naribus , & quod applicatur auribus.*

Author libri qui vocatur *Chaskúni* ad eundem locum ſcribit : נזם שייך לאף ולאזן , hoc eſt , *Neſem* convenit naribus & auribus.

Itaque ex his omnibus liquet vocem *Neſem* , quæ adhibetur etiam , uti viſum in loco Exod. 35. denotare tam *ornamentum Narium*, quam *Aurium*; quamvis exiſtimem propriè ſignificare ornamentum narium ; ratio , quia alibi ornamenta aurium in eodem loco ab illis diſtinguuntur , ubi utrorumque fit mentio.

Qualia autem illa ornamenta fuerint, quæritur? D. Hieronymus in loco ſupra allegato dicit eſſe *ornamenta mulierum*, *& quidem*

dem circulos, (h. e. anulos) *in os ex fronte pendentes, & naribus imminentes.* Non eſt autem ejus authoritas contemnenda, ut qui in illis regionibus vixerit, & praxin earum viderit, uti ait: *Et uſque hodie.* Sic teſtatur Auguſtinus Quæſtionibus in Geneſin: *Mos*, inquit, *Maurorum eſt, ut inaures etiam in naribus habeant feminæ.* Sic Vulgatus Interpres Prov. 11. dicit, *Circulus aureus.* Eſa. 3. *Gemmas in fronte pendentes*, (auro ſc. incluſas & impactas.) Geneſ. 24. ſervire *ad ornandam faciem.*

Aben Ezra Hiſpanus loco modò citato ait: מֵעַל פְּתִיל קָשׁוּר בְּמֵצַח שֶׁעַל הָאַף יֵרֵד h. e. Neſem *narium dependet à filo vel funiculo fronti alligato.*

Don Iſaac Abarbenoi, itidem Hiſpanus, ſcribit ad locum Ieſa. 3. 3. *Lechaſchim* ſunt monilia aurium, *Tabbaoth* ſunt orna-

menta digitorum manuum: *Niſme* (quæ noſtra eſt vox) ſunt monilia ſive ornamentà, quæ applicabant naribus ſuis, aut pendebant in tiaris capitis à funiculo, & inde uſque ad nares deſcendebant, vel dependebant. Hæc ille.

Quod ergò Vulgatus Interpres reddidit, modò *circulum aureum in naribus*: modò *Gemmas in fronte pendentes*: modò *Inaurem ſuper os*: modò *ad ornandam faciem*: hinc poteſt conciliari: *Gemmæ ſunt in fronte pendentes*: nempe in vitta frontem circumdante, & ab ea dependentes: *ſuper os*: quia ad os uſque pendebant: *in naribus*, quia naribus imminebant: *Ad ornandam faciem*, quia hic generalis erat finis. Sed & ab ambiguitate vocis Hebraicæ אף *Af*, vel *Aph* varietas iſta proficiſci potuit: quæ *Faciem*, *Vultum* in ge-

genere, & Synechdochicè *Na-ſum* ſignificat.

INSERENDA *pag.* 44.

Seriùs exhibitas Inaures antiquas duas *Smetii*, quarum una aurea cum rudi granato, altera ex auro tota eſt, hic habes, Lector, mihi operâ Cl. *Theodori Ryckii*, amici optimi, communicatas.



Fra-

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

Fratri Chariſſimo

CASPARO BARTHOLINO

THOM. FIL. CASP. NEP.

DE

INAVRIBVS VETERVM

ſcribenti.

Sic pulchram calamus doctrinæ vellicat aurem,
Et mundum ſcriptis condecorare parat.
Aurea quæ ſcribis, ſunt auro digna, placebit
Hæc tua nam doctis quicquid inauris *habet.*
Splendida, crede mihi, hæc ſunt ornamenta laborum,
Quæ tibi plus laudis, quam fuit ante, dabunt.
Barthlini *nomen poſthac ſic perge tueri,*
Sis Patre, quem ſequeris, ſis quoque major Avo.

THOM. BARTHOL. FIL.

AVCTORES
In Syntagmate nominati vel illuſtrati.

ÆLianus. Pag. 17. 96. 140
Agathias. 123
Bern. Aldretus. 44
Ambroſius. 76
Apuleius. 9. 36. 41. 65. 113. 121
Ariſtophanes. 23
Arnobius. 85
Arrianus. 148
Athenæus. 16. 25. 26. 67. 123. 141
Auguſtinus. 87. 93. 108. 122. 124
Auguſtinus Steuchus hallucinatus. 48
Th. Bartholinus Parens. 5. 15. 87. 89. 111. 146
Th. Barthol. Fil. 71
Bayſius. 31
Boët. de Boot. 69
Boxhornius. 111
Io. Braine. 131
Budæus. 20. 51
Calphurnius. 70
Camerarius. 22. ejus lapſus. 72
Catullus. 110
Celſus 82
Chaldæus Paraphraſtes. 65
Cicero. 34. 43. 78
Claudianus. 37. 38. 58. 63. 103. 109
Clemens Alexand. 78
Conſtantinus. 24
Columella. 139
Curtius. 92. 112. 130
Cyprianns. 76. 142
R. David. 14
Dempſterus. 43
Dion Caſſius. 125
Dioſcorides. 26
Druſius. 48. 87
Ennius. 12
Euripedes. 70
Euſebius. 101
Euſtathius. 16. 18. 21
Ezechiel. 14. 100
Feſtus. 4. 7. 34. 44
Andreas Friſius. 44
Grotius. 139
Gruterus. 7. 67. 79. 81. 98. 121. 147
Gualterus. 64

He-

Heſychius. 22. 23. notatus. 42. 72
Hieronymus. 9. notatus. 15. 35. 55. 66. 68. 142
Homerus. 21. 22. 26. 72. 103. 106. 107
Horatius. 52. 56. 61
Inſcriptio Vetus illuſtrata. 67. emendata. 82
Lxx. Interpretes defenſi. 47. Eorum error. 87
Ioſephus. 48
Iſidorus. 2. 3. 35. 83. 92. 129
Hadr. Iunius. 27. 127
Iuſtinus. 146
Iuvenalis. 30. 3. 5. 112. 116. 124
Lactantius Gramm. 25. 144
Io. Laët. 68. 83
Lampridius. 46. 94. 146
Ioſ. Laurent. 69. 114
Lipſius. 51
Lotichius. 27
Lucanus. 9. 59
Lucianus. 9. 10
Lucillius. 40. 116
Lyra. reprehenſus. 48
Macrobius. 51. 61. 113. 125. 145
Manilius. 58
Georg. *Marcgravius*. 69. 131
Martialis. 35. 58. 105
Val. Maximus. 95
Mercerus. 12
Meurſius. 111
I. Bapt. Montalbanus. 128
Nonius Marc. caſtigatus. 33. 34. 41. notatus. 42
Nonnus. 70. 73
Ovidius. 37. 40. 57. 58. 66. 68. 101. 105. 137
Palmerius. 33
Dan. Papebrochius. 44
Pauſanias. 18
Petronius, emendatus. 27. 115. 125
Philoſtratus. 35. 136
Pignorius. 7. 29. 38. 67
Guil. Piſo. 131
Plautus. 4. caſtigatus. 5. 46. 110. 115
Pli-

Plinius. 5. 31. 32. 51. 52. 54. 59. 60. 71. 78. 91. 99. 113. 121. 140
Plutarchus. 40
Pollux. 15. 17. 28. 24. 64
Propertius. 67
Prudentius. 36. 55
Quintilianus. 34
Rhenanus. 64. 127
Cæl. Rhodiginus. 25. 38. 80. 113
Io. Rhodius. 15. 89. 90
Salmaſius. 6. 43. 143.
Saxo Grammatticus. 132
Scaliger. 33
Fort. Schackius. 31 119
Schefferus. 136. 138
Scholiaſtes Iuvenalis. 6. 116
Seneca. 27. 56
Seneca Philoſ. 34. 62. 80. 84. 105
Servius. 143
Spondanus. 22
Statius. 9
Henr. Stephanus. 18
Strabo. 90
Suetonius. 34. 43. 51. 53. 101. 148
Suidas. 19. 23
Sulpitius Severus. 114
Tertullianus. 2. 3. 9. 10. 12. 33. 39. emendatus. 64. 80. 83. correctus. 127. 142. 143. 145
Theocritus. 70
Thucydides. 128
Tibullus. 66
Tomaſinus. 34
Nic. Trigautius. 128
Petr. de Valle. 90
Varro. 9. 10. 141
Waſerus. 48
Vegetius. 139
Virgilius. 57
Vlpianus. 94. 99
Voſſius. 99
Vulgatus vindicatus. 48
Xenophon. 124
Zenobius Acciolus. 135
Zenon Martyr. 55 119
Zonaras. 50. 123

IN-

A mundo muliebri. 98
Ab ornamentis. 98
Aceti vires. 61
Achillis ſtatua cum Inauribus. 143
Acus crinalis. 35
unde dicta. 36
ejus uſus. 36
ex ebore. 38
ex auro & gemmis. 39
ex arundine. 38
Acus comatoria, 41
Diſcriminalis. 36. 39. 41
Afris inaures in uſu. 125
Alabaſtri. 32
Ἀμφωλίς. 18
Anguillæ cum inauribus. 140
Annulli narium apud Hebræos. 151. & ſeqq.
Apud Arabas uſus inaurium. 125
in Aure memoriæ locus. 78
Aurem vellere. 78
Aures argenteæ quid ſignificent. 147
Aures foratæ quomodo curentur. 82
Aures oneratæ. 85
Aures, pro Deabus. 82
in Auribus gentium virtus. 78
ab Auribus Flaccorum cognomina. 77
Auricula, cauda auris. 81
Auriclæ ornatrix. 81
Aurium quæ pars perforabatur. 80
Aurium vulnera. 55
Aurum in collo, pro Torque aureo. 66
Aurum, pro Inaure aurea. 66
apud Babylonios Inaurium uſus. 124
Bacca pro unione. 57
pro fructu. 57
Baccæ in auribus. 56

Βοτρύδια. 23
Boum auriculæ circulo ſignatæ. 139
Brachiolum. 100
Bruta inauribus ornata. 138
quare. 139
Bulla. 112
Calamiſtrati. 43
Calamiſtrum. 42
ejus uſus. 16
Callaica. 3
Capillorum ornamenta. 70
Capreoli. 34
Cervi cum inauribus. 136. 137
Chinenſium inaures. 120
Cincinnatus capillus. 34
Cincinni. 33
Circuli aurei in fronte. 88
Circulus æneus in labro. 90
Cirri. 34
Cnaſon. 41
Comam ſtruere. 9
Crinale. 37
Crobyli. 127
quid ſint. 128
Crotalia. 31
Danicis Matronis inaures in uſu. 132. 134
Deorum inaures. 143
Diis conſecratæ inaures. 138
Diſcerniculum. 40
Diſcriminale. 41
Elenchi. 5. 30. 50
forma. 31
Elench. pro Titulo. 6
Elephanti inaures. 31
Ἕλικες. 22
Ἑλικτὴρ. 20
Ἐλλόβιον. 19
Ἐνώτη. 15. Ejus ſignificatio. 15. ex auribus pendebat. 17
non brachiis. 87
Ἕρμα. 20
τρίγγληνον. 25
Ἐπιῤῥίνιον, ornamentum naſi. 87. 88
Faber inaurium Vulcanus. 71. 72
Feneſtræ aurium. 3
Flores in auribus. 39
Gemma in digito pro annulo. 67

in Græcia inaurium
uſus. 121
unde fluxit. 121
Hagareni, qui? 130
Haſtæ cuſpide nuptarum comæ diſcriminatæ. 40
Hecate Triformis. 26
Inauris aurium ornamentum proprium. 76
abuſivè narium. 86
qua aure geſtata. 83
utriuſque ſexus. 91
virorum. 92. 93
matronarum. 94
Virginum. 102
Luxuriæ cauſa. 98
Ornamenti cauſa. 100
mollitiei ſignum. 101
Inaures ex margaritis. 54
ex auro. 63. 66
Et eæ nobilitatis ſignum. 65. 112
ex argento. 67
æreæ. 67. 68
oſſeæ & ligneæ. 68
in Sacris. 117
ad expiationem. 117
variarum gentium. 118
Inaurium Etymologia, apud Latinos. 2. apud Græcos. 17. apud Hebræos. 12
impudica ſignificatio. 14
Inaurium ſynonyma. 3
differentiæ. 28
formę varię. 29. 65
pondus. 46
pretium. 47. 50
Indorum inaures. 130
131
Iſmaëlitæ iidem qui Madianitæ. 130
apud illos inaurium uſus. 130
in Kalendario domus cenſus perſcript. 80
Lamella aurea naſo ſuſpenſa. 90
Laminas aurium pertundere. 85
Lapis in auribus. 58
Legata Matrum. 99
apud Lydos inaurium uſus.

uſus. 124
Margarit. fulgens. 65
apud Mauros inaurium uſus. 124
Medorum inaures. 123
Meretricum inaures. 105
Minervæ inaures dicatæ. 147
Monile Veneri dedicatum. 146
Monilium Faber. 71
Fabrica & connexio. 74
Murena inauribus ornata. 140
Nambipaya, quid? 69
Natalitiæ inaures. 111
Nobilitatis inaur. 112
Novæ Nuptæ inaures. 106
Nuptialia munera inaures. 109
Ornamenta mulierum licita. 94. 99
Oſculi genus arreptis auribus. 79
Parthorum inaur. 123
Perſarum inaures. 122
Phylacteria Idolorum inaures. 109
Pinoſis, quid? 64
Piſcium inaures. 139
apud Pœnos uſus inaurium. 126
Regum inaur. 93. 111
apud Romanos inaurium uſus. 121
Roſæ crinibus implicitæ. 70
Rotula, inauris. 14. 67
Scrobyli. 127
Sepulchris inaures illatæ. 148
Servorum inaur. 114
earum origo. 115. 116
Siclus quantum? 47. 48. 49
Σχολαγίκιον. 23
Spiroſus capillus. 9
Sponſalitiæ inaures. 107
Stalagmium. 4. 29
Στροβύλια. 23
Strobulus. 64
Strongyla. 144
Subulâ auris perforata. 114
Suggeſtus comæ. 9
Tri-

Tribaca. 27
Τείκγκκος. 26
Τείπος. 24
Turcarum inaur. 128
Tutulatus. 12
Tutuli. 7
Tutuli pro capillis. 9
10. 11
Tutulus Pontifical. 7
Veneris ſtatua cum inauribus. 144.
145. 146
Virginum inaur. 101
Vnio Cleopatræ. 51.
59
Vnio Vitellii. 52
Vnio in naſo. 89
in labro inferiori. 90
Vniones pro inauribus. 62
Vniones bini juncti in auribus. 84

Graviora menda ſic reſtitue.

Pag. 10. lin. 19. pro: F A V S T I N Æ. lege: P L O T I N Æ. pag. 13. l. 4. lege: *Mercerus*. p. 15. l. 11. eapropter. p. 27. l. 3. dixit. p. 73. l. ult. coloratum. p. 81. l. 15. אלא dele & lege: במילתא. p. 96. l. 11. ineptias. p. 98. l. 7. l. Tabella. p. 132. l. 4. Nequicquam.

F I N I S.

LYON

THOMÆ BARTHOLINI
DE
ARMILLIS VETERVM SCHEDION.

Acceſſit

OLAI WORMII

DE

AVREO CORNV DANICO
ad *Licetum* Reſponſio.

Editio noviſſima, figuris æneis illuſtrata.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE
LYON



AMS

Sumptibus

Viro

Clariſſimo & Celeberrimo

D. D. WILHELMO WORMIO,

Bibliothecario Regio, in Regia Academia Hafnienſi Medicinæ Profeſſori meritiſſimo, Amico & Fautori ſuo S. D.

CASPARVS BARTHOLINVS TH. F.

TVum advocavi nomen, Vir inclute, in cauſa non domeſtica, ſed publica Antiquitatis, cujus Te Genium meritò compello. Non aliàs meliorem

experta ſortem altius caput extulit res Antiquaria, quam ſub b. m. Parente Tuo Olao Wormio, *quo orbis Antiquarius, ejus humeris fultus, majorem non vidit. Quin Tu igitur, hanc Antiquitatis, quam Tibi conſecro, teſſeram accipe, qui his ſacris innutritus es, & in quem ut Paternæ virtutes omnes, ita Antiquitatis multifariæ incredibilis peritia migravit. Non injuſtam hujus debiti mei cauſam agnoſces, ſi ſingula capaci animo conſideraveris. Non mea ſunt quæ hic cernis; nam illa ex merito Ipſe repetere potes, cui jure debentur. ARMILLÆ ſunt à Parente meo ex omni Antiquitate quondam adornatæ, & ex inſtructiſſimo Antiquitatis Danicæ penu Patris Tui illuſtratæ, cujus de* Aureo Cornu *ad* F. Licetum *Reſponſio, veluti purpuræ præclara lacinia, annectitur.*

tur. Tu ipſe eandem, quam Pater Tuus excoluit, cum Parente meo ſervas amicitiam, & in me derivare non dedignaris, quamvis immerentem, mereri tamen pro virili laborantem. Quare per me, quem tam ſingulari affectu ſemper proſecutus es, in ſinum Tuum involat hæc Antiquitas, non aliàs parem vel Fautorem vel cultorem habitura. Tuum eſt Antiquitatem, ejuſque interpretes, eâ fovere benevolentiâ, quâ tota tua Familia aſſuevit. Et Tu, qui hæc & majora erudito pectore condita ſervas, hic habes in quo innatum illum literarum amorem & benemerendi ſtudium, quæ ab incunabulis didiciſti, oſtendas. Parva quidem hæc ſunt, fateor, ſi merita Tua, quæ longè ſuperant, conſiderem, ſed ſi amicum offerentis animum ad normam exacti judicii, ut omnia ſoles, revocaveris,

comperies majora nec Te optare, nec me largiri poſſe. Animum velim, non libellum, animi teſtimonium, conſideres, nam illum non jam tibi primúm dedico, quippe qui dudum non uno nomine Tuus eſt. Vale, Familiæ decus, Academiæ Patriæ lumen, Literatorum & favor & ſtupor, Amicorum delitium, & mihi, inter illos numerando, quô in Patria cœpiſti amore, etiam extra Patriam porrò fave.

Lugduni Batavorum Calend. Martii
ANNO MDCLXXV.

CASP. BARTHOLINVS TH. F.

LECTORI S.

AD prœlum ſyntagma *de Inauribus* paraveram, cum in Schedion *Patris* mei *de Armillis* commodè incidi, quod ex intima Antiquitate olim concinnatum, ſed exinde progreſſu temporis parum detritum & jam orbi erudito deſideratum, reſumſi, atque, non invito Parente, novum & illuſtriorem reddidi habitum. Id præcipuè egi ut plurima ſubjectis iconibus illuſtrarem, quæ aliàs, hoc adminiculo deſtituta, ex ingenio fingerentur. *Olai Wormii* ad *Licetum* de *Aureo Cornu* reſponſioni, ut hujus occaſionem indice digito Lectori monſtrarem, ipſius

Cornu breviſſimam hiſtoriam & figuram ſubjunxi, cum Eruditorum Iudiciis. Tu, Lector, Vale, & huic atque aliis conatibus noſtris fave.

THO-

THOMAS BARTHOLINVS

ANTIQVITATVM

Studioſis S. D.

Vos enim animus eſt compellare. Reliquos in præſentia non alloquar, qui præter fumantes recenti foco ollas ſapere non volunt: Amant illi ſolum quod præſenti ſplendore & odore oculos nareſque ferit, & novitate ducti quæ ſuperior tranſmiſit ætas, ut aliena ab ingenio & tempore, ad majores ſuos relegant. Adeò puerili vultu inductos novis coloribus parietes admirantur, ut niſi nudius tertius picta videre nec velint, nec poſſint. Horum ſanè ferri non debet inſania, quia alios velut peſtilenti ſidere inficit. Non enim intra ludicra ſubſiſtunt, ſed ſecum majorum momenta trahunt. Priſcam fidem aver-

ſaturi, dum novam faciem mente lubrica haud indignam induunt, facilè antiquorum veſtigia declinant. Meo judicio, ſi veteribus par precium ponerent novitii illi bonorum cenſores, mores quoque eſſent mutaturi ad ignobilis genii ductum malè formatos. Commodius tamen ex ſe vivunt, quam ſi conſtanti majorum imitatione firmarent animum, quos ideò obducta rugis fronte torvi aſpiciunt, quod meliora ſe invitis ad noſtram ætatem tranſmiſerint exempla. Hæc autem, ne neſciatis, in hominum iſtorum contemptum ex armillis *priſcorum levi in ſpeciem argumento paucis pagellis viſus ſum oſtendiſſe potius, quam induxiſſe. Quis enim ex tenuiſſimo armillarum genere ſibi patiatur perſuaderi, plus in leviſſimis antiquos, quam nos in graviſſimis habuiſſe conſilii. Fingimus novitiorum candidati*

pru-

prudentiæ ampullas ſic ſevero ſatis vultu, & planè cordata ſapientia fruſtillatim velut per oſtia colligimus mores, quum tantum arcanorum apparatum ſuſpenſis levi brachio armillis majorum Manes irrideant. Armillæ veteribus ornamentum erant, nunc deformitatis plerumque indicium apud eos qui ſordido genio mentis nunquam nævos ſunt depoſituri. Gratæ eandem memoriæ teſſeram ad meritorum ſilentium traducunt plures, ut dum amicitiæ ſigna in manibus geſtant, ad ejuſdem incitentur oblivionem. Virtutis rerumque fortiter olim geſtarum præmium cenſebantur. Nunc mutato uſu plures ambiunt armillas geſtantque quàm merentur, & honos ſpecioſo titulo, ut malè facta puniantur, nihil agentibus ſplendidè defertur. Ita deperdita eſt ea temporum priſcorum felicitas,

ubi

ubi cuncta ex meritis penſantur. Vnicum ex antiquorum ſordibus in forum noſtrum deduximus, ut inter luxus inſtrumenta erectorum pectorum abutamur mercibus. Omnia ex propria libidine, ex publica utilitate nihil, parum ex recti verique metimur conſcientia, &, quod caput rei eſt, ad platanum armillas ſuſpendimus, ne cuiquam ſit volupe bonum eſſe. Sic dum antiquitatem refugiunt, inſcii, ſed diverſo animo, eandem amplectuntur. Vos verò, ſinceræ Antiquitatis alumni, quos hujus opuſculi optavi mihi Lectores, quid ad Rempubl. literariam hinc emergat utilitatis, me tacente, non ignorabitis, ſi quidem apud vos eſtis. Videor quidem operam quibuſdam luſiſſe, quod rem lapſu temporum detritam, noſtriſque jam feminis ſatis uſitatam, laxiori calamo extenderim.

tim. Ingenuè fatebor; (nam apud amicos loquor) operum, quæ pollice hactenus preſſi, viliſſimum jure ſuo cenſebitur hoc Schediaſma. Quid inde periculi? ideone cælum ruet? talia profectò debentur temporibus noſtris, ubi id nimium mihi videtur, quod nihil eſt: Verum enimverò vos Antiquarios compello, non minori loco reponendas armillas, brachiorum decora, quam anulos, ſolius digiti circulos, in quibus maxima ingenia Kirchmanni, Longi, Kentmanni, Liceti *laborioſâ deſudarunt induſtriâ, & adhuc eruditus* Franciſci Bernardini Ferrarii *Doctoris Ambroſiani occupatur calamus. Quorum ingenium & eruditionem quanquam hac ætate nondum ſim aſſequutus, ſuccincto tamen opere in tranſcurſu monſtravi, quantum rudis in re exili & à nemine hactenus tentatâ valeat au-*

audeatque ad ſperatam æternitatem penna. Fructum ſanè laboris præſenti rerum noſtrarum ſtatu perdidiſſe ſuſpicarer, ſi vel majus minimo, vel tritius rariſſimo tractaſſem argumentum. Valete, mi homines, quicunque eſtis, & me ſi non Antiquarium, antiqua tamen animi conſtantia perennem, quem non ſemel ex lectis noviſtis, porro, ſi mereor, amate; ſin minus, liceat & vobis gratis me odiſſe.

TH. BARTHOLINI DE ARMILLIS VETERUM Schedion.

§. I. *Varia Armillæ Notio & Etymologia.*

ARmillas ab armis dictas auctor eſt *Feſtus*: *Armillas ex auro, quas Viri militares ab Imperatoribus donati gerunt, dictas eſſe exiſtimant, quod antiqui humeros cum brachiis armos vocabant. Unde arma ab his dependentia ſunt vocata.* Ab eadem origine affine *armillum* dependet, vas vinarium in ſacris, dictum, eodem teſte, quod *armo id eſt humero deportetur.* Ut & *armile*, inſidiarum dolique theca.

Armillæ unde dictæ?

Armillam, vas vinarium.

theca. Non tamen erraſſe credo *Philippum Beroaldum*, qui ab *armis* deduxit, ſeu inſtrumentis rerum omnium; quia & arma armo ſuſpenduntur, & ab armo armorum fluxit appellatio. Idem ergò *armile* & *armillum*, ſi ortum ſpectemus. Vnde quo jure *Ianus Douſa* apud *Apulejum* reſcripſerit *armillum*, equidem ignoro. Ita autem *Apulejus* Libro VI. Metamorph. *Interea Cupido amore nimio pereſus, & agra facie matris ſuæ repentinam ſobrietatem pertimeſcens, ad armile redit.* Vbi *ad armillum redire*, non eſt conſueta potandi vaſa, ſed dolos ſuos & arma repetere. Quod clarius infra idem *Madaurenſis* Lib. IX. *Tamen altius commota atque exaſperata ad armillum revertit, & ad familiares feminarum artes accenditur.* Vtrobique meo periculo legendum, *ad armile*, quod

Beroaldus vindicatus. Armilæ, ab armis.

I. Douſa notatus.

Ad armillum redire, quid?

quod Codices *Florentinus* & *Palatinus* videntur innuere, qui *armilem* præferunt. Vel ſi *armillum* mavis, noli alio ſenſu *Nonium Marcellum* interpretari: *Armillum. Lucilius* Satyra XXVIII:

Hinc ad me, hinc licet anus
rurſum ad armillum.

ſecus quam Eruditis quibuſdam placuit. Quanquam de vaſe vinario frequentior appellatio apud *Varronem* de Vita Populi Romani Lib. I. *Item armillum quod eſt urceoli genus vinarii.* Conſentiünt *Gloſſæ* Iſidori: *Armillum crater, vas vinarium.* Vt enim vaſa humeris, ita armillæ quoque ornatus gratia appenduntur. Tranſiit tamen ad alia hujus nominis uſus tracta à vulgatis ſimilitudine. Nam *armillas* Mathematici habent in Sphæra *armillari*, & *armillæ* anuli olim ferrei erant cavati, in quibus

Armillæ in ſphæra armillari.

bus vertebant vertibula. *Germanis* Pannen / monente *Hadriano Iunio*, & *Antonio Popma* cap. XI. de Inſtr. fundi. Quod à *Vitruvio* mutuati ſunt Lib. X. Architect. cap. VI. de Cteſiphontis invento onera Levandi: *armillas in materia ad Chodaces circumdandos infixit, chodaces autem in armillis incluſi, liberam habuerunt verſationem tantam, uti cùm boves ducerent ſubjuncti, ſcapi verſando in chodacibus & armillis ſine fine volverentur.*

Armillæ, annuli ferrei cavati in quibus vertebant vertibula.

Chodaces ſeu *Cnodaces* ſunt ferreæ rotundæ, per quas in *armillis* ſcapi aut axes, etiam torni, verſantur. *Armillæ* verò ſunt circuli ferrei & veluti umbilici in arrectariis aut tranſverſariis, ut rectè *Philander* explicat in Commento. *Spinter* caduceatorum in ejuſdem *armillæ* venit nomenclaturam *Budæo*. Vnde poſtas *armillatos* curſores appellat,

Chodaces ſeu Cnodaces quid?

Spinter Caduceatorum.

Curſores armillati.

pellat, partim, ut conjicio, ob inſigne quod præferunt, partim, quia *armillæ* inſtar ab armo dependet. Propiori *ſpinteris* notione ad fibulam vel armillam reflectit *Priſcianus* Lib. V. Apud *Feſtum* quoque *ſpinter armillæ genus*.

Spinter fibula ve armilla.l

Spatalium apud *Plinium* & *Tertullianum* occurrit pro feminarum *brachiali*, de quo inter ſeſe litigant Critici, an *ſpathalium*, vel *ſpatalium* legendum, quum Græci σπατάλιον vocent.

Spatalium, feminarum brachiale.

Quanquam aliter ſentiat *H. Stephanus*; tamen majorem ubique fidem apud me *Cl. Salmaſius* meretur, nulli mortalium doctrina ſecundus. In Manuſcripto *Tertulliani* Codice, olim *Agobardi*, nunc Regiæ Bibliothecæ Pariſienſis *ſpatalium* ſervatur, non *ſpathalium*, qui litem dirimit pro tanto Viro.

An ſpathalium vel ſpatalium legendum?

Sed vulgatiori vocula *armilla* nuncupatur proprium brachiorum

Armillæ, propriũ brachiorum decus, di-

ꝯæ & Armeæ. rum decus. *Armeæ* apud *Plautum* Epid. Act. V. ſc. 1. Ita enim loco *aureæ* in Manuſcripto *Camerarii* & aliis Editionibus emendavit *Io. Meurſius*. *Brachile* in Lege Salica Tit. XXIX. §. 37. *ſi quis mulieri brachile furaverit*, cxx. *den. qui fac. Sol.* IIIc. *judici.* Nam *brachile* rectè in *Gloſſario* per Gallicum *Bracelet* exponit *Lindenbrogius*. *Brachiale Flavio Vopiſco* in D. Aureliano, *brachionarium* in Gloſſario. *Halteres*, *echinos*, *cniços* aliaque *armillarum* nomina, quæ apud *Cœlium Rhodiginum* Lib. XII. cap. XVIII. Lib. XIV. Lection. Antiquar. cap. IV. reperies tanquam latiores nomenclaturas, hic prætereo ſciens. *Iſidorus* Lib. XIX. Originum cap. XXXI. *dextrale* approbat, alii, inter quos *Capitolinus* & *Trebellius Pollio*, *Dextrocheria*, à Græco χεὶρ & Latinorum *dextro*. *Dextrariolum*

Brachile.

Brachiale.

Brachionarum.

Halteres, echini, cnici, armillarum nomina.

Dextrale.

Dextrocheria unde?

lum apud *Iudith.* cap. x. pro *dextrali* accepit *Cælius* Lib. VIII. cap. XIII. Sed à *brachialibus* ſeu *armillis* loco diſtinguuntur quem occupant. Ita *Arculphus* Lib. de locis ſacris apud magnum *Salmaſium* nondum editus videtur voluiſſe: *Ornata virgis ferreis, pendentes, brachialia, dextrocheria, murenæ, monilia, anuli, capitulares, cingella, irata, baltei, coronæ, imperium ex auro, vel gemmis & ornamenta plurima.* Quod dextras plerunque ornarint, *dextralia* dictæ. Vnde *dextræ* in Manuſcriptis quibuſdam *Iſidori* Codicibus communes Virorum ac feminarum. Eo tamen diſcrimine ſeparantur, ut monui, & advertit quidem *Lazarus Bayſius* elegantiſſimo de Re Veſtiaria Commentariolo, ſed non ſatis ob operis anguſtiam diduxit. *Brachialia* quippe totum brachii progreſſum comple-

Dextrariolum pro dextrali.

Dextralia unde?

Inter Brachialia & dextralia diſcrimen.

ctebantur cum armis, *dextralia* tantum carpum. Quò reſpiciens *Xenophon* VI. Pæd. inter βραχίονα & ψέλλια id ponit diſcriminis, quod ψέλλια ſint tantum περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν, licet *Strabo* τὰ ψέλλια & τοῖς καρποῖς & βραχίοσι, latius aſſignet. Accuratior *Pollux* in Onomaſtico inter κοσμήματα τῶν καρπῶν numerat τὰ περικάρπια, ψέλλια, χλιδῶνας. Et *Suidas*: ψελίῳ περιοχῇ: τὸ ψέλλιον, κόσμος τῆς χειρός. Περιοχὴ nempe à circuli forma brachium ambientis.

Inter περικάρπια & ψέλλια forma variat.

Quodnam autem inter περικάρπια & ψέλλια intercedat apud *Pollucem* diſſidium non liquet. Crederem formam variaſſe nobis non ſatis cognitam. ψέλλια certè minus ἀπὸ τῶν περικαρπίων differre videntur, quam χλιδῶναι, quia in Codicibus *Suidæ* nonnullis inter ψέλλια & χλιδῶνας copula intercedit, nulla inter περικάρπια. Vnde ἰσοδυναμοῦντα illa putarim, ſi

ita

ita viſum fuerit Eruditis. Nec enim hic ſatis ſapio. Vtrumque complectitur *Polybius* Lib. II. voce μανιακῶν, quum περιχείρους tantum ad τὰ ψέλλια, vel, ut aliis placet, ψάλια ſeu ψέλια, arctaverit. χλιδῶνες autem meo judicio, vel hoc nomine à *Pſelliis* differunt, quod & laxiores ſint fluenteſque unde *armillæ* verius redduntur, & delicatioribus luxurioſiſque tantum in uſu. Nam à χλιδῆ, *luxu*, *mollitie* derivamus. *Suidas* χλιδῶναι, κόσμοι περὶ τοὺς βραχίονας. *Ornamentum circa brachia.* βραχιόλια quoque dici monet ibidem *Suidas*, quæ in βραχιάλια commutat *I. Druſius* cap. CXXVII. Comm. ad Num. quoniam ab *Aquila* ſumpſiſſe ſuſpicio eſt, adeoque non χλιδόνας, ſed χλιδῶνες, ſeu χλιδόνες quoque ſcripſiſſe. Nec malè. Nam χλιδῶνες invenias à χλιδὼν, & χλιδόνες apud *Suidam*.

ψέλλια, ψάλια ſeu ψέλια. χλιδῶνες & ψέλλια quomodo differant.

De quibus *Gloſſaria* conſulat, cui volupe. Eædem *armillæ* Ἀμφίδεες *Heſychio* appellantur, & κείριθι, & δακτύλιοι, quod in orbem ſeu brachium ſeu digitos complectantur. *Varino* pariter ἀμφίδεα ſunt τὰ ψέλλια ſeu βραχιόνια. Vnde *Hippocrati* noſtro ἀμφίδεον erat τὸ ἄκρον τοῦ στόματος τῆς μήτρας τὸ ἐν κύκλῳ, *ſumma uteri oſculi extremitas rotunda*, idque ab *armillarum* muliebrium ſimilitudine, monente in Exegeſi *Galeno*, quæ *armillæ* ἀμφίδεα dicuntur, ἀπὸ τοῦ περιλαμβάνειν ἐν κύκλῳ καὶ οἷον ἀμφιδεῖν, *quod in orbem circumdent & quaſi circumligent*. A quo orbe & βυβάλιον nuncupatur τὸ γυναικὸς μόριον, ſeu *muliebris natura* teſte *Heſychio*, quia σίκυν ἄγριον, ſeu *cucumerem agreſtem* refert apud *Coum*. Βυβάλιον autem inter brachii ornatus recenſet *Pollux* & Etymologici Magni *Auctor*. Περιχείρια anti-

Armillæ Ἀμφίδεες.

ἀμφίδεον, uteri oſculi extremitas rotunda.

Armillæ ἀμφίδεα unde dictæ?

Βυβάλιον, ornatus Brachii.

Περιχείρια.

antiquo loquendi uſu *Viriolæ* Viriolæ,
nomine ſignabantur, ſeu *viriæ*, Viriæ.
pari cum *brachialibus* nota. *Gloſ-
ſar. Viriolæ* περὶ χέρεια, ψέλια. *Idem
Viriolæ*, κλάνια, ψέλια: *Viriola*,
κλάνιον, ψέλιον. *Albiique*: ψέλιον
Viriola, *armilla*. Quod *Heſychio*
κλάνια, *Suidæ* ſunt κλάρεια, nem-
pe τὰ ψέλλια. *Iſidorus* quondam
Viriolas dictas vulgo prodidit
Lib. XIX. Originum cap. XXXI.
idque quia Viris victoriæ cauſa Viriolæ
conferebantur. Per diminutio- quare dictæ.
nem à *Viria* deductam *Viriolam*
probant *Barnabas Briſſonius*, *Cal-
vinus* in Lexico Iuridico *Bec-
mannus* in Orig. De his *Tertul-
lianus* in Pallio Cap. IV. *Vtique
ſicut veſtigia cœſtuum Viria occu-
pavit.* *Ambroſius* quid ſint ex-
plicat diſertius cap. IX. lib. de
Abrah. *Has virias quæ manum* Viriolæ
non materiali auro ornarent, ſed idem
ſpirituali actu levarent. Ex quo quod armillæ
loco *Virias* manum diſcimus ex- denotant.

 ornaſſe,

ornaſſe, quemadmodum *Viriolæ*, quas ideò cum *armillis* jungunt Iuriſconſulti. *Vlpian.* Leg. xxv. §. x. ff. de auro & argento legato. *Inaures*, *armillæ*, *viriolæ*, *anuli præter ſignatorios.* Vt mirari ſatis nequeam *Lazarum Bayſium* Virum Doctiſſimum alioquin, nihil de *Viriolis* apud probatos auctores ſe inveniſſe confitentem extremo *libro de Vaſculis*, quum id ex *Vlpiano* jam laudato, quem Commentario de Re Veſtiaria illuſtravit, potuerit haurire, ut alios hujus commatis taceam jam nominatos. Labitur non minus eodem contextu, quando de colli ornamento *Viriolas* ex Smaragdo in *Lege de Medico* interpretatur. Diverſum enim planè fuit ab his monile, de quo *Iuvenalis* Satyra VI.

Laz. Bayſii lapſus.

Viriolæ non colli ornamenta.

Quum virides gemmas collo circumdedit.

Non

Non ex Smaragdi ſimilitudine, quem *viridem lapidem Horatius* nominavit, monile magis dixerit quam ſi aureum. Quippe ex *S*maragdo quoque fiebant *armillæ*, & monilia non rarò ex aliis gemmis, aurove. *Medea* irata apud *Senecam* Act. III. Sc. ult.

Armilla ex Smaragdo.

---- ---- gemmis eſt & auro textili
Monile fulgens. ---- ----

Monile ex auro & gemmis.

Iuvenalis eadem Satyra:

Quæ nudis longum oſtendit cervicibus aurum
Conſulit ante Phalas. —

Nec non *Claudianus* Lib. I. in Rufinum.

--- --- cuicunque monile
Contextum gemmis. --- ---

Quid quod ex Corallio confecta olim ſint monilia apud Orientales, more ibidem adhuc ſervato: Vnde in Poëmate Lamico *Abn Iſmaelis Tograi* Arabico v. XVIII.

Ex Corallio olim apud Orientales monilia.

Virgines Ædumæorum *rubræ* ſunt *monilibus* & *ſtriatis tunicis*, quem locum diligentius Lib. I. *de Luce Animantium* cap. XIX. excuſſimus. Neque virides ſolum gemmæ, ſed & ignitæ ſeu fulgurantes, monilia componunt, quo ſenſu, niſi de auro malis, cepit *Prudentius*:

Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis.

Viriolæ igitur ſive ex Smaragdo, ſive auro, brachiorum, non colli erant appendices, à Viris, teſte *Iſodoro*, ita appellatæ, eodem flexu quo *virioſus Nonio*, & *virioſa Apulejo* Lib. IX. Metamorphoſ. appetens Viri & libidinoſa, loci mulieris *virioſi M. Catoni* de Re Ruſtica appetentes complexum, quanquam & apud hunc, & iſtum Lib. VII. Metam. *viroſum* legere ſuaderem: quam *virioſum*, quia utrobique de virulentia & ulcere eſt ſermo.

Viriolæ eodem modo dictæ, ac Virioſus.

§. II.

§. II. *Armillæ quas corporis partes exornarint?*

Armillæ quanquam ad armos vi nominis propriè ſpectent; Tranſierunt tamen quoque ad manus, quæ & brachium & extremam manum lata notione complectuntur. Duplex enim locus, vel in carpo, vel humero. In humero χλιδῶνες, ut ſupra evicimus. Ψέλλια & περικάρπια in ſummis brachiis, auctore *Polluce* in Onomaſtico, quod à nominis argumento comprobat *Cælius* Lib. VIII. cap. XIII. *Brachialia* Latinis utrique competunt parti. Nam pro *armillis* *Flavius Vopiſcus* in D. Aureliano uſurpat, aliique, & de *pericarpiis* nihil vulgatius. Frequentiora enim fuere ψέλλια, quam χλιδῶνες. Hinc pro manus ornamento etiam χλιδῶνες habuit

Armillæ in carpo vel humero.

Brachialia pro armillis & pericarpiis.

Pol-

Pollux lata vocis notione, quamvis brachiorum proprios. Apud Hebræos manibus ubique affigitur צָמִיר, quod Lxx. Interpretibus eſt ψέλλιον. *Vulgata*, reliquorumque *verſiones armillam* reddunt, pro *dextrali*. Manus enim additur, ne dubitemus. *Geneſ.* xxiv. *verſ.* 22. 30. 47: *armillas ſuper manus ejus.* עַל־יָדֶיהָ *Ezech.* quoque xvi, 11: *Et ornavi te ornatu indens armillas* צְמִידִים *manibus tuis, & torquem collo tuo.* Nec non Cap. xxiii. verſ. 42: *ac ſi daturi eſſent armillas manibus ipſarum, & coronam ornatus capitibus ipſarum.* Quo ſenſu cepit שֵׁרוֹת apud *Eſaiam* iii, verſ. 20. *Targum*, quum adderet וְשֵׁירֵי־יְדַיָּא & *armillas manus*, teſte *Pagnino*. Diverſam nomenclaturam indidere quando ad brachium ſpectabat. Quippe אֶצְעָדָה jungitur צָמִיר *Numer.* xxxi, verſ. 50. Hoc *dextrale*, illud

illud *brachiale* ſeu *armilla*, ſecus ac *Hieronymo* & Lxx. viſum. Hieronymi error. Quo modo & per מוֹמְפְתָא exponit *Chaldæus*, ſeu *brachiale*. *Rabbi David* verò obſervat propriè pedum eſſe ornatum, ex vocis origine. Nam צעד eſt *Incedere*. Verum *brachiale* hoc ad pedum ſimilitudinem forſan conditum. Non tamen exinde inducimur ut credamus אֶצְעָדָה fuiſſe pedum ornamentum. R. David. hallucinatio. Quia *armillæ* ex anulis digitorum fluxerunt, & hi ex *armillis*, non quod vel *armillæ* digitis ſint accingendæ, vel brachiis anuli. Melius igitur *Mercerus* אֶצְעָדָה ſine א potius pedibus ſuſpicatur aſſignatum. Iuvat ad *R. Davidem* proſternendum textus 2. Sam. 1. verſ. 10: *Et accepi diadema quod erat ſuper caput ejus, & armillam* (וְאֶצְעָדָה) *quæ erat ſuper brachium ejus.* Vbi Lxx. κλῃδόνα τὸν ἐπὶ τοῦ βραχίονος reponunt, ut *Suidam* ſequan-

ſequantur, qui κόσμον περὶ τοὺς βραχίονας vocat. Non aliter *Athenæus*: ἐφόρουν χλιδῶνας περὶ τοῖς βραχίοσι, *geſtabant* χλιδῶνας *circum brachia*. Notandus, antequam diſcedam, hic eorundem Lxx. error in Expoſitione *Geneſ*. XXIV, 47. Τὰ ἐνώτια ἐπὶ τῶν βραχιόνων ponentium. Illa ſanè non brachiis ſed auribus appendent *Pollux* & *Heſychius*. Vnde mala fide ſuo more cum ſacro textu egerunt. Nam הנצם monile vel inaures notat. Quod *Vulgatus* aliique ſunt aſſequuti. אפה quoque naſum indicat vel faciem, nunquam brachium, cui *armillæ* alioquin, non inaures ſuſpenduntur, ſicut omnium conſenſu manibus *dextralia*. Quos firmat *Xenophon* Lib. 1. Inſtitut. Cyri, Medos narrans habuiſſe στρεπτοὺς περὶ τῇ δέρῃ, καὶ τὰ ψέλλια περὶ ταῖν χεροῖν: *circa collum torques*, & armillæ *circa manus*. *Ar-*

Error Lxx. Interpretum. Ἐνώτια non brachiorum ſed aurium ornamenta.

Armillæ Interpreti ſunt *pericarpia*, quum armos alioquin tegant, id eſt, ut ad Lib. III. *Valerii* annotat *Olivarius*, ſuperiores brachiorum partes. In loco ſupra flexuram cubiti reponit in Torone *Snorro Sturleſonus* in Chronico Norvegiæ. Medio verò conſpiciuntur armo in Americana Virgine apud *Ioan. de Laet*. *Pſellia* geſtabantur ubi per carpum manus jungitur. *Rhodiginus* Lib. VIII. cap. XIII. à nominis argumento comprobat in ſummis brachiis geſtari ſolita, quia *pſellium* Dores ſummum dicunt: unde & quæ ſummis enuntiantur labiis accentiuncula, *pſile* nuncupata. Idque ſanitatis cauſa, ob micantis arteriæ cum corde conſenſum, cui aurum medelam affert, quam ſuſpicionem anulus apud *Agellium* Lib. X. Noctium Atticarum cap. X. ſuggeſſit. Majus quippe in carpo quam

Armillæ idem quod Pericarpia.

Locus ubi armillæ geſtatæ.

Supra flexuram cubiti.

In medio armo.

Pſellia in carpo & ſummis brachiis.

Pſellia in ſummo brachio, propter arteriæ cum corde conſenſum, quæ ſuperſtitio ex annulo fluxit.



quam digitis pulſantium venarum cum corde eſt commercium. Quid ſi faſcina averruncarint? Eo ſanè fine amuleta moniliaque per collum demittuntur. Vtrumque autem brachium nullo ferè diſcrimine exornabant *armillæ.* Sæpius *dextrum*, exoriente præſertim geſtandi ritu. Hinc *dextrale* Latinis pro *brachiali. Iſidorus* in Gloſſis: *Dextralia, brachialia. Dextrocherium* eodem ſenſu à Græcis tranſiit ad Latium, quod improbat *Gerardus Voſſius* Vir magni judicii, de Vitiis linguæ Latinæ. Non Virorum tantum, ſed Feminarum. *Iulius Capitolinus* de Maximino: *Erat pollice ita vaſto, ut uxoris dextrocherio uteretur pro anulo.* Plus tamen in dextris erat decoris, ſi ſolæ geſtabantur. *Eccleſ.* XXI, verſ. 24: *tanquam armilla impoſita brachio dextro.* Quia dextra Virilis fortitu-

Armillæ in utroque geſtatæ brachio.

Armillæ utriuſque ſexus.

Quæ in dextris gerebatur decoris nota erat & fortitudinis.

titudinis eſt nota. Cujus egregium apud *Saxonem Grammaticum* noſtratem extat documentum. Refert is in *Rolfone*, Wiggonem illum, quum *armilla* à Rege Rolfone eſſet donatus, dextram exornaſſe ſtatim, & ut ſimilem pro ſiniſtra impetraret, dextrâ elatâ, læva verò per pudoris ſimulationem poſt tergum reflexâ, ridiculum corporis inceſſum præbuiſſe. *Rogatus cur ita ſe gereret, inopem ornamenti manum nulloque cultus beneficio gloriantem, ad aſpectum reliquæ verecundo paupertatis rubore perfundi dicebat. Cujus dicti calliditate conſentaneum priori munus obtinuit.* Siniſtras amabant Sabini. *Livius* Lib. I. *Vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo, gemmatoſque magna ſpecie annulos, habuerunt.* Vbi errat *Olivarius*, qui Comm. ad Lib. VIII. Val. *armillas* aureas *orna-*

Armillas in ſiniſtris gerebant Sabini.

Error Olivarii.

ornamenta ſiniſtrarum appellat, quum etiam dextras aureæ cinxerint. In eodem hæſit luto *Rabbi David*, qui צָמִיד, ad ſiniſtram manum reſtrinxit. Vtrique enim manui applicantur plurium numero *Geneſeos* XXIV, 22: *duas* צְמִדִים *armillas ſuper manus ejus.* Vt & *Ezechielis* XVI, 11: *& dedi armillas ſuper manus tuas.* Quod cap. XXIII, 42. repetitur. *Geneſeos* quoque XXIV, 30: *quum vidiſſet inaurem & armillas*, וְאֶת־הַצְּמִדִים. Nam aliud, ut credo, *armillarum* fuit genus *ſpinter*, quo, teſte *Feſto*, mulieres utebantur brachio ſummo ſiniſtro. Sed quale id fuerit, ignoramus, quia ab *armillis* diſtinxit *Plautus* in Menæchm. Act. III. Sc. III.

R. David notatus.

Armillæ in utraque manu.

Spinter in brachio ſiniſtro, ab armillis diſtinctum.

Redde Spinter, *ſi non meminiſti.* ME. *mane.*
AN. *iſtuc.* ME. *ubi illæ* armillæ *ſunt, quas una dedi?*

Niſi

Niſi utriuſque brachii, utriuſque ſexus ſint *armillæ*, & *ſpinter* ſiniſtri tantum feminarum, nihil quod dici poſſit, invenio. Ad pedes quoque ſeu exornandos ſeu onerandos adhibitæ. Quas vincula in calceis mulierum appellat *Ovidius* Lib. II. Faſtor.

Armillæ pro vinculis pedum.

> *Fregerat* armillas *non illa ad brachia factas*,
> *Scindebant magni vincula parva pedes.*

Erantque ſervorum curſorum propriæ. *Suetonius* in Nerone cap. xxx: *Nunquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur; Soleis mularum argenteis; canuſinatis mulionibus, armillata & phalerata cum Mazacum turba, atque curſorum.* Iconem in Comment. de ſervis *Laurent. Pignorius* exhibuit, de quibus plura inquirere inſtituti ratio haud permittit. Ad colla canum tranſtulit lata notione *Propertius* IV. Eleg. VIII.

Armillæ curſorum.

Armilla pro millo canum.

Atque

Atque armillatos *colla moloſſa canes.*

quia illis millus eſt vice *armillarum*, judice *Cælio Rhodigino* Lib. XVII. Antiq. Lect. cap. XXVI. Millus autem eſt præſidium canum apud *Feſtum. Varroni* de Re Ruſtica Lib. II. cap. IX. *collare, cingulum nempe ex corio firmo, cum claviculis capitatis*, cui ideò & *melium* dicitur, ſive, ut alii legunt, *milium*, favente in Notis *Ioſepho Scaligero*, quia μηλωτὴ ovilla pellis. Durius videtur ad maxillas flectere, quam pedes. Quod tamen auſus eſt *Iobus* cap. XL. verſ. 21. de Leviathan: *Nunquid pones circulum in naribus ejus, aut armilla perforabis maxillam ejus.* Vbi vulgata verſio *armillam* elegit, LXX. ψέλιον. *Tremellius* & *Iunius ſpinam*, preſſius ſacrum textum imitaturi. חוח enim, ſpina eſt, ſeu hamus. Ego fibulam addo,

Millus canum.

Vnde melium?

Armilla ad maxillas tranſlata.

hamo non abſimilem, nec ſpinæ, à qua parvo *armilla* diſtat diſcrimine. Quod vel eo nomine aſſeveraverim audactius, quod fibularum annulorumve uſum in labiis perforandis non pauci ſint profeſſi, quos videſis in erudita *Ioannis Rhodii* de Acia Diſſertatione. Nam Ebræorum לחיה, maxillam, LXX. χεῖλος vertunt, ſeu labium, quos è veſtigio *Suidas* ſequitur in voce ψελίου: ὁ χειστὸς ἐν Ἰὼβ περὶ τοῦ δράκοντος, τουτέστι, τοῦ διαβόλου. Ψελίῳ δὲ τρυπήσεις τὸ χεῖλος αὐτοῦ. *Armilla vero perforabis labrum ipſius.* De anulo, quo nares animantium perforantur, interpretatur *Henricus Stephanus.* Ego de fibula malim. Quo *Æliani* locus reſpicit à *Suida* adductus: ὅπερ οὖν οἷα δήπου ψέλιον τῷ βασιλεῖ τῶν Αἰγυπτίων ἐκ τῶν νόμων περιήρτητο, ἀναστέλλων τῶν ἀδικημάτων: *Quod igitur tanquam armilla Ægyptio-*

Fibulæ ac annuli pro perforandis labiis.

rum

rum Regi appenſa erat ex lege, ipſum à peccato arcens. Licentius omninò lumbis *brachialia* tribuuntur. Nam *Iſidorus* cingulum renum *brachiale* Monachorum vocat: *Redimiculum eſt, quod ſuccinctorium ſive brachile nuncupamus.* P.P. *Hoc vulgo* bracile *quaſi* brachiale *vocant, quamvis nunc non brachiorum ſed renum ſit cingulum.* *Rebrachiatorium Caſſianus* de monachis Ægyptiis amat appellare: *Geſtant veſticulas duplices, laneo plexas ſubtegmine, quas Græci* ἀναλάβεις *vocant: nos vero ſuccinctoria, ſeu ridimicula vel proprie rebrachiatoria poſſumus appellare.* Vnde dubio procul natum *bracherium* Chirurgorum, cingulum nempe herniam inteſtinalem ſubſtringens, de quo conſulat Chirurgos, qui volet.

Brachiale pro cingulo renum.

Rebrachiatorium.

Bracherium chirurgorum.

§. III. *Armillarum Materia.*

Armillæ aureæ. *Armillæ* ex auro ut plurimum formatæ. *Dionyſio Halicarnaſſeo* LX. Antiquit. Roman. de L. Siccio Dentato: *Octo ex acie reportavi coronas, quibus me Imperatores decorarunt, præterea torques aureos octoginta tres, armillas aureas ſexaginta, haſtas puras octodecim, faleras inſignes ſeptuaginta quinque.* Aurea enim dona erant militaria, teſte *Seneca* Lib. I. de Beneficiis cap. V. Et quot in armis numerabantur ornamenta, tot victoriarum credebantur ſigna. Sabinorum armillæ aureæ. Sabinos vulgo aureas *armillas* brachio lævo, gemmatoſque magna ſpecie anulos habuiſſe, refert *Livius* princeps Romanæ hiſtoriæ conditor Lib. I. Quare Galli dicti χρυσοφορῦντες. Vnde Galli χρυσοφορῦντες dicuntur *Straboni* Lib. IV. Geogr. quod

quod torques & *brachialia* aurata geſtarint. Et *Rolvo* Rex Danorum, quia armillas aureas aliaque dona diſtribuiſſet, in Cantilenis vetuſtis dictus **Hreiter Hedda** / *ſpargens aurum.* *Plautus* in Menæchm. Act. III. Sc. III.

—— ut addas auri tu pondo
Unciam,
Iubeaſque novum ſpinther reconcinnarier.

Mox *idem*:

Scin hoc quod ſit ſpinther?
M. Neſcio, niſi aureum.

De quo eleganter ſacro ſenſu diſſerit *Gregorius Magnus* Lib. II. Epiſt. LXIII. *In intellectu ſacræ ſcripturæ reſpui non debet quidquid ſanæ fidei non reſiſtit. Sicut enim ex uno auro alii murænulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt; ita ex una ſacræ ſcripturæ ſententia expoſitores quique per innumeros intelle-*

ctus quaſi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœleſtis ſponſæ proficiunt. De Probo *Vopiſcus*: *Publicè in concione donatus eſt haſtis puris quatuor, coronis vallaribus duabus, corona civica una, vexillis puris quatuor, armillis aureis duabus.* Res nota, ideò alia non congero teſtimonia. Rectè enim ad morem omnium ſeculorum. *Geta* in Alcmena apud me MS:

---- auro quoque dextra ſuperbit,

Armillæ textili etiam & per fila intorto auro conſtabant.

Non ſolido ſemper, ſed textili ſubinde & per fila intorto. Quo reſpexit *Plinius* Lib. IX. Natural. hiſtoriar. cap. XV. de feminarum luxu: *Alterno textu fulgentibus, toto capite, crinibus, ſpiris, auribus, collo, manibus, digitiſque, quæ ſummam quadringenties Seſtertium colligebant.* Hinc פתיל *filum Geneſeos* XXXVIII. per *Armillam* exponit *Vulgatus*. Quod

ſciens

ſciens *Spondanus* ἕλικας γναμπτὰς apud *Homerum* Iliad. XVIII. *tortiles armillas* hoc verſu reddidit:

Apud iſtas per novennium fabricavi artificioſa multa
Fibulaſque tortileſque armillas, fiſtulaſque & torques.

Non ineptè ἕλικες pro armillis, *Heſychii* ductu, cui ἕλικες, ſunt ἢ ἐνώτια, ἢ ψέλλια, ἢ δακτύλιοι. *Vel inaures, vel armillæ, vel anuli.* Tortiles ſunt à filo aureo intex- Filum
to, quo ad vinciendos alioquin aureum intextum
dentes feliciter uſi veteres, ut ex ad vinciendos
Lege XII. Tabularum, Hippocra- dentes.
te de Art. & *Celſo* Lib. VII. cap. XII. liquet, imitanturque edentuli. Talem *armillam* apud *Lucretiam Borgiam* Ferrariæ Ducem ſerpentis effigie formatam decantat *P. Bembus* in Carm:

Dypſas eram: ſum facta, Tago dum perluor, aurum

Tortile Nympharum manibus decus. ----

A quo ritu ad noſtras quoque tranſiit non textile aurum tantum, ſed & textilis pilus, imò ſericum textile, quale variis lapidibus per ſuos colores diſtributis Poliarcho ab *Argenide* & Cleobulo datum *armillæ* forma facili, ut ſolet, ſua muſa perſequitur *Ioannes Barclaius* Lib. II. Argenidis. Viliores his *armillæ* argenteæ, eburneæ, æreæ & ligneæ. De argenteis *Livius* Lib. X. finito bello Samnitico: Papirius *equites omnes ob inſignem multis locis operam, corniculis armilliſque argenteis donat.* Nam aureis *armillis* coroniſque Sp. Papirium fratris filium, Sp. Nautium & quatuor Centuriones donavit, tanquam digniores. Ex ebore Æthiopicas mulieres ſua confeciſſe *brachialia* narrat *Scylax* in Periplo: αἱ γυναῖκες αὐτῶν

Armillæ argenteæ.

Aureæ digniores.

Ex ebore apud Æthiopes.

χρῶν-

χρῶνται κόσμῳ ψελίοις ἐξ ἐλέφαντος.
Mulieres eorum utuntur ornatu, armillis elephantinis, hoc eſt, eburneis. Verva eborea in brachio laudat *Scribonius Largus* Compoſit. XVI. & circuli eborei in *armillis* meminit *Petronius* in Sat. Plebejæ planè cenſendæ æreæ quas anuli largioris forma Melitæ apud *Ioannem Franciſcum Habelam* & Baſileæ in Muſeo *Felicis Plateri* ex Auguſta Rauracorum erutas, pridem luſtravimus. Troglodytæ feminæ ex frutice Charitoblepharo coralio haud abſimili *ſpathalia* ſua conficiunt & monilia, ut perhibet Iuba apud *Plinium* Lib. XIII. cap. 25. Pauperiores ex Caryotide, quemadmodum corollas precarias hodie Chriſtianorum quidam. Aurum verò inducebant, ſputumque illinebant, non ut arbitrantur *docti* nonnulli ob gluten, ſed ad faſcinum, cui ſpu-

Armillæ æreæ plebejæ.

Apud Troglodytas ex frutice.

Ex Caryotide, quare obducta auro & ſputo illinita?

tum dicatum meminimus. De illo *Martialis* Libro XIII. Epigrammate XXVII.

Aurea porrigitur Iani Caryota Kalendis,
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

De *armillis*, non palma nuda accipiendum Bilbilicum ſecus ac *Ioſepho Scaligero* placuit in Tibullum, indicat titulus: *Spatalion* enim *caryotarum* Epigrammati præfigitur, quod alii in *Spalathion* mutant vel *Palathion* pro maſſa caryotarum. De ſputo *Idem* Libro VIII. Epigrammate 33.

Scaliger animadverſus.

Hoc linitur ſputo Iani caryota Kalendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

Pretium nobiliores *armillis* ex ſuccino mutuabantur alii ex gemmis, margaritiſve. Ex ſuccino *Iuvenalis* compoſuit Sat. IX.

Nobiliorum armillæ ex ſuccino.

En

En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, Natalis quotiens redit. ---

Nam ſuccina de *armillis* è ſuccino vel ſphærulis capiunt Interpretes, & inter eos *Vetus* ille: *ſuccina grandia*, quorum Poëta meminit SatyraIX. *gemmata ſunt dextrocheria.* De * gemmatis videndæ *Leges* XIV. *ff. de contrah. empt.* Lex XXV. §. *ornamenta.* ff. de auro, argento mundo legato. De iiſdem *Chryſoſtomus* in laudat. Babylæ Martyris, pompam Cari Imperatoris deſcripturus: ὑπόγραψον αὐτὸν σεμνότερον ἀπὸ τῶν ἱματίων φαινόμενον, καὶ τῆς ἁλυργίδος, καὶ τῶν λίθων τῶν πανταχοῦ διεσπαρμένων κατὰ τὴν δεξίαν, κατὰ τὴν συμβολὴν τῆς χλανίδος, τῶν ἀπὸ τοῦ διαδήματος: Vbi rectè per gemmas in dextra ejus fulgentes, **Armillæ gemmatæ.**

* Ex gemmis & margaritis confectas armillas evincit ſtatua apud Boiſſardum, quam hîc damus.


LVCILLA AVG

tes, *dextrocherium* ejus intellexit *Iſaacus Caſaubonus*, & per chlamidis commiſſuram, fibulam. Huc *Manilium* credo reſpexiſſe Lib. V. de Caſſiope:

Hinc lenocinium formæ, cultuſque repertus
Corporis, atque auro quæſita eſt gratia frontis,
Perque caput ducti lapides, per collà, manuſque.

Auget ſuſpicionem, quod *Q. Curtius* Lib. IX. cap. 1. habitum Regis Indorum delineaturus, addat: *Aureis ſoleis inſeruerat gemmas: Lacerti quoque & brachia margaritis ornata erant.* Idem Perſarum habitus apud *Ammianum Marcellinum* Lib. XXIII: *Armillis uti monilibuſque aureis & gemmis, præcipuè margaritis.* *Athenæus* quoque Lib. III. Dipnoſoph. ex Charette prodidit, Perſas alioſque ex margarita lapide formaſſe ψέλλια περὶ Ex margaritis apud Indos & Perſas.

τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, *armillas circum manus pedeſque.* Ne nos pedes moveant, quia & illi apud Romanos anulati. *Manilius* ibidem:

Pedes annulati.

Et pedibus niveis fulſerunt aurea vincla.

Cyprianus de habitu Virginum, *ſint à compedibus aureis pedes veſtri liberi. Plinius* denique, ne alios advocem: Lib. IX. cap. 35. *Neq; geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones ambulent, ſatis eſt.* Qui luxus in obſtrigillis præſertim eluxit, etiam privatis: *Pacatus Drepanus* in Panegyrico Trajano dicto: *quiſquis aurum gemmaſque pedibus privatis optabit*, ſive, ut emendat *Fr. Modius* in Nov. ant. Lect. Ep. LXXIX. *aptabit.* Sed de periſcelidibus plura alii. Nobis ad *viriolas* redeundum, quæ extra controverſiæ aleam ex ſmaragdis fuere, in Lege *Medico* VIII. ff. de

Viriolæ ex ſmaragdis.

de auro & argento legato, ut oſtendit quoque figura è minutis ſmaragdis à *Pignorio* Libro de ſervis, ex Muſeo Lælii Paſchalini producta, quam optimo jure magnus *Cujacius* Lib. X. Obſ. cap. XVII. *brachialem* obſervat. Nec abſimilibus gemmis coralliſve *armillæ* in ſigno marmoreo diſtinguuntur apud laudatum *Pignorium* in Iſiaca Menſa, & in Virgine Americana apud *Ioannem Laetium* Americanarum Rerum Eruditum ſcriptorem. Et ne dubitemus, en *Iulium Capitolinum* in Maximin. Iunior. *Monolium de albis novem, reticulum de praſinis undecim, dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor.* Vicinior eſt teſtis *Ioannes Baptiſta Suarez* in Antiquitatibus Gaditanis Hiſpanicè editis Lib. IV. cap. V. in quibuſdam vaſis ſepulchralibus ejuſdem Inſulæ *conditas inter oſſa & cineres inve-*



inveniri gemmas ex auro & argento velut anulos, & armillas. In cujus fide id tantum deſideramus, quod rem adeò ſeculis inuſitatam nulla icone adumbraverit diligens alioquin Inſularium Antiquitatum exactor. Magnam ſanè à me iniiſſet gratiam, ut promptius de forma *armillarum* decernerem, conjecturis invenienda, & paucorum umbris.

§. IV. *Armillarum Forma, Compages & Connexio.*


Enimverò quod anuli *armillis* ferè jungantur non caret myſterio, ut ad illorum formam efficitæ id brachio præſtent, quod digitis anuli. Nam Maximinus uxoris *brachiali* pro anulo utebatur. *Capitolinus. Erat magnitudine tanta, ut octo pedes digito videretur egreſſus: pollice ita vaſto,*

Brachiale in digito pro annulo.

vaſto, *ut uxoris dextrocheria pro anulo uteretur.* Vnde *armilla* Toronis in *Chronico* Norwagiæ **Gulðring** nomine veniebat, hoc eſt, *anuli aurei*, ſive *circuli.* Nec differunt, niſi magnitudine, quia circulus utrique communis, quo in orbem amplectitur tam brachium quam digitum. Hic ſtrictius, ibi laxius. *Iſidorus* Lib. XIX. Originum cap. XXXI. *Ab intellectu circuli armilla non diſcrepat: quia ipſa quoque hoc ubi ponitur, ambiendo conſtringit, ſed quando* armilla *latius extenditur*, circulus *rotundus fit.* Graphicè quidem formam armillæ circularem depinxit, ſed quid ultimis velit verbis, non ſatis aſſequor. Rotundus enim fit circulus armillæ, quanquam latius ſe non expandat, ut ex rotūdo anulorum flexu liquet. Meo tamen judicio inter circulum &

Armillæ forma circularis.

& armillam id ponit diſcriminis, quod ille rotunda forma arcte ſe claudat, hæc ulterius inflexu levi ſe extendat, qua effigie hic Lectorum oculis ex *Pignorio* ſubjeci.



Cui ſimilis videtur anulus quidam ex aurichalco gigantis, ut fertur Iſlandici, quem ex
Annulus gigantis.

ex Muſeo ſuo mihi monſtravit *Olaus VVorm*, Polyhiſtor noſter.



Quare κρίκοι armillæ dictæ?

Eſt tamen & *armillæ* ſuus quandoque circulus extremis ſeſe mordentibus, inſtar anuli, quod in Melitenſi Baſileenſique videre eſt, unde aliis κρίκοι, communi cum anulis nomenclatura, nuncupantur. *Suidæ* περιχειρὶ, quod brachium circumeat. ψάλια quoque ſeu ψέλια dicuntur.

tur *armillæ* & anuli, teſte *Heſychio*, quia hi minores, illæ majores circulos conficiant. Quippe ψάλιον frænum eſt equorum, ſeu catenula fræni rotunda apud *Xenophontem* L. de Re Equeſtri, & *Camerarium* in verſione, & qui *armillas* anuloſve geſtant ψελιόφοροι appellantur *Herodoto* Lib. VIII. περιχείρους eodem ſenſu *armillas* ſignat *Polybius* Lib. II. quod manus in orbem prehendant. Nec aliud ἀμφίδια notant apud *Hippocratem*, ut ſupra monuimus, ducta à circulari muliebris uteri forma, ſimilitudine. Ἀπὸ τοῦ περιλαμβάνειν ἐν κύκλῳ καὶ οἷον ἀμφιδεῖν, *quia in orbem circumdent & quaſi circumligent*, interprete *Galeno*. Vbi οἷον ἀμφιδεῖν extrema illa *armillarum* includit, quæ à perfecto claudentis circuli orbe nonnihil diſcedunt. Duplex enim *armillarum* forma, arctior illa

Frænum Equorum.

Armillarum forma duplex.

illa & immobilis preſſè manum ambiens, qualis eſt *Habelæ* & *Plateri*, & laxior. De illa ſine dubio *Tertullianus* loquebatur cap. III. de habitu muliebri; *Lumina lapillorum, quibus monilia variantur, & circulos ex auro, quibus brachia artantur.* Teres *Saxoni* noſtro Lib. II. hiſtoriæ Danicæ de avaro Boho :

Armillæ forma teres.

Ergo graves loculos & ditia clauſtra reſolvit,
Armillas *teretes & onuſtas protulit arcas,*
Exitii fomenta ſui.

Armillarum circulus vel ſimplex vel plures inter ſe connexi.


Hæc vel ſimplici orbe alligabat brachium, vel pluribus inter ſe connexis circulis, eo planè modo, quo aurei Nympharum noſtrarum nunc involvuntur carpi, doliorum inſtar. Cujus ſpecimen ex Muſeo Antiquario *Olai VVormii* Viri ſummi exhibemus nunquam hactenus ab aliis annotatum. Bi-

na ſunt *brachialia* elegantiſſimo opere æneo ita arte effiꝗa, ut non ſolum orbiculari forma carpum ſtringant, verum plurimos continuata ſerie circulos ad medium ferè cubitum extendant. Circuli duodecim numerantur eminentiores, linea inter ſe copulati, qui ad brachii ſimilitudinem quaſi per gradus creſcunt. Pondus eſt XIII Vnciarum cum dimidia. Ad VI verò Vncias in longitudinem aſcendit. Circumferentia ſuperiori parte latior pedem Romanum complectitur, inferior v: anguſtior eſt unica Vncia. Tota verò *armillæ* compages duplici loco brachio alligari eſt apta, ſuperiori inferiorique idque clavis per patentia bina foramina trajiciendis. Dependent (A) bini circuli utrinque per anſas, clauſi apertique, & ligula (B) ex

Brachialia bina ænea ex Muſeo Wormiano.

Eorum pondus, Longitudo, Circumferentia.

Compages.


A
B

(B) ex tertio orbe, mobiles omnes, & ad crepitum comparati. Quæ illuſtria ſtupendæ antiquitatis noſtræ monumenta non ita pridem in Dania eruta cum aliis nummis & toreumatis ſpectantium oculos in inſtructiſſima Technicotheca laudati Viri in ſe convertunt, digna poſterorum memoria, ut ex appicto ſchemate mecum agnoſcet ingenuus vetuſtatis æſtimator. Laxior verò *armillarum* ſtructura fluenſque nec noſtro ornatu muliebri infrequens, nec antiquorum. Talis gemmata fuit *Paſchalini.* Nec abſimilis Rorici, de quo *Saxo* noſtras Lib. III. hiſtoriæ Danicæ: *Roricus cum ſenas forte armillas haberet, ita mutuis nexibus involutas, ut ab invicem ſequeſtrari nequirent, nodorum inextricabiliter ſerie cohærente.* Torquem æmulabatur, niſi torques fuerit, quem alibi

Armillæ in Daniâ erutæ.

Laxior ſtructura armillarum.

Torquis in brachio.

depingit *Saxo* Lib.VIII. de Gotrico: *Detractum lacerti torquem accerſiti labris inſeruit. Quem Reſo confeſtim brachio applicans, id cunctis auro præditum oſtentabat.* Quo retulerim libenter Vngulum ſingularis *armillæ* artificii, quod ideò *ſuſpendebatur* brachio. Ita enim *Pacuvius* apud *Feſtum*: *Suſpenſum in lævo brachio oſtendo ungulum.* Et apud *Nonium*: *Repugnanti ego porro hunc vi detraxi ungulum.* Vngulum Oſcorum lingua anulum notare ſcribit *Feſtus & Iſidorus* Lib XIX. Originum cap. XXXII. Ita *Plinius* de anulis Lib. XXX. cap. I: *Græci à digitis appellavere, apud nos priſci* ungulum *vocabant, poſtea & Græci & noſtri Symbolum.* Cur non & *armillæ*, quæ anuli ſunt brachiorum? Nam ungulum, ſi rectè conjicio, anulus dictus, quod cornu in circulo imitetur, licet aliter ſenſerit

Vngulus in brachio.

Vngulus quid?

Iſido-

Iſidorus; vel forſan, quod rudi ſeculo ungulæ ſeu cornua anulorum *armillarumque* vices ſuſtinuerunt, quemadmodum ebur aliis, & cornu brachiale in arcubus adhuc inter Turcas Arabeſque uſitatum, ſi credimus *Bellonio* Lib. II. Obſ. cap. 89. Vngulam enim pro cornu antiquos accepiſſe ex ſignatis plurimorum Auctorum locis in obſervationibus noſtris Novis *de Vnicornu* Cap. XXXI. evicimus. Anceps hæreo num huc corniculos debeam referre, *armillis* ſæpe ſæpius, velut cognati generis, ſociatos. Ita *Livius* Lib. X. *Corniculis, armilliſque argenteis donat*. Quid corniculi aliàs fuerint, haud ignoro, nec de uſu ambigo. Crediderim aliquid monſtri ſubeſſe, quod equites iis donarentur, qui corniculo merebantur apud *Tranquillum* de Orb. Gramm. *Val. Maximum* Lib. VI.

Iſidorus tangitur.

Corniculi armillis ſociati.

Corniculis equites donati.

cap. 1. *Leonem* Cod. XII. §. 53. L. 1. *Accurſium*, alioſque. Elegantem hujus argumenti Inſcriptionem ex civitate Caſtellana Faliſcorum oppido ſuis interſeruit *Smetius* fol. 73.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI. 7. LEG. XX. V.V.
CORNICVLARIO. PR. PR.
DONIS. DONATO. AB. DIVO TRAIANO. AVG.
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO. ET. A. &c.

Vngulus idem quod armilla.

Nihil igitur à veritate puto dici alienum, ſi *armillam* à tortuoſi flexus ſimilitudine cum cornibus, ungulum voces: Nam cæſtus, *armillis* ferè ſimiles, in brachiis manibuſque ad cornua arietina componit *Plinius* Lib. XI. cap. 37: *dedit natura in anfractum convoluta arietum generi cornua, ceu caſtus daret.* Quidquid autem de ungulo ſit,

gem-

gemmatæ *armillæ* inter laxiores numerandæ, quia fluitabant plerumque, & cathenas ſubinde æmulabantur. Clarus teſtis *Cyprianus*, de habitu Virginum, ubi ita eas alloquitur : *Maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma ſincera. Non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus precioſa cathena.* Vbi & molem *armillarum* tangit & formæ catenatæ luxum. Molem ex pondere vel largiori amplexu metimur. Illam in feminis notat *Tertullianus* de Cultu feminarum : *Ceterum neſcio an manus ſpatalio circumdari ſolita, in duritiam catenæ ſtipari ſe ſuſtineat.* Ita enim ex Manuſcripto *Codice* Regio legendum monuit *Cl. Salmaſius* ſtupendum illud omnium ingeniorum decus, quum priores libri haberent, *ſtupeſcere ſuſtineat.* Melius certè ille

Gemmatæ armillæ laxiores velut cathenæ.

Armillarum moles.

& graphicè laxiorem formam ſignavit quæ manum arctius *ſtipare* nequiret. Vulgus Sabinorum aureas *armillas magni ponderis* geſtaſſe *Livius* tradit Lib. I. Vnciam auri in ſua exegit à Menæchmo Erôtium, apud *Plautum* Act. III. Sc. III. Rebecca ad pondus aureorum decem aſcendit *Geneſ.* XXIV, 22. qui totidem Siclos aureos conficiunt. Ponderoſiſſimæ Wormianæ omnibus palmam magnitudinis præripiunt, majoris æſtimandæ, ſi tam eſſent ſolido auro conflatæ, quam ære. *Armilla* argentea veterum Iſlandorum in ara aſſervata Vncias XX. pendebat, quam, auctore *Arngrimo* de Republ. Iſland. cap. VI. forenſi aliquo munere fungentes jusjurandum præſtituri contrectabant. Ampla quoque & eximii ſimul fuit ponderis illa, in qua anguis delituit apud *Saxonem*

Aurearum armillarum pondus.

Armillæ argenteæ pondus.

nem Lib. VIII. *Armilla anguem induens venenato dentium acumine eum à quo gerebatur appetiit.* ψέλλια illa *Xenophontis* Lib. VI. Pæd. lata erant πλάτεα περὶ τοὺς καρποὺς τῶν χειρῶν. χλιδῶνες quoque dubio procul fluitabant. Vnde ornamentum pedis 2. *Samüel.* 1, 10. אֶצְעָדָה; quod *armillam Vulgatus* per tranſlationem reddidit, LXX. χλιδῶνες vocant. Amplitudo Danicarum *armillarum* ad XII. pollices extenditur, ut non alias magis capaces meminerim. *Coſtulam* in *Capitolino* de latiori *armilla* accipit *Caſaubonus*, quæ carpum cingens *coſtulas* non malè refert, licet durius id dictum non inficietur ipſus. Vnde *Cl. Salmaſii* incurrit cenſuram, qui rectiſſimè, ut omnia, *coſtulam* pro *copula* interpretatur, quod mox videbimus. *Copula* autem ſi *armillæ* ſit pars, poſſet ex hac largior dici *armilla.*

Anguis in armilla.

Coſtula armilla latior.

Coſtula, rectius Copula.

Copula armillæ non pars ſed appendix.

Ad *armillas* enim, ut rectius carpum amplectantur, copula eſt neceſſaria, quæ *dextrocherii* pars, qua jungitur, dici non meretur, ſed appendix. Ea vel tænia fuit, vel fibula. Illam in Maximinum Iuniorem indigitavit *Iulius Capitolinus*: *Dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor, præter veſtes auratas. Dextrocheria* in *Codicibus* nonnullis Manuſcriptis, nemo approbabit facilè, quia & *Caſaubonus* &, quod urgentius, *Salmaſius* improbarunt. *Copulam* autem pro *Coſtula* aptius legendum, uterque cenſet.

Copulæ uſus.

Fuit hæc *copula* dextrocherio appenſa, ut ejuſdem colligaret capitula. Sic enim *Gloſſæ*: *Copula*, χεὶρ, ἀλυσέδιον, μέλος, ἄρθρον χειρός. Vbi Vir ſine pari *Cl. Salmaſius* iterum audiendus, qui χειραλυσίδιον legit, hoc eſt, manus catenulam, quia *copulam* nemo unquam dixit manum ſignificare.

Ἀλύ-

Ἁλύσεις ſanè in mundo mulicbri à *Polluce* numerantur:


> Χλιδῶνα, περόνας, ἀμφιδέας, ὅρμους, πέδας,
> Σφραγῖδας, ἀλύσεις, δακτυλίους, καταπετάσματα.

Copulam autem hanc ex auro ſi fingamus, quomodo tum alligari aptè manibus potuerit, non ſatis perſpicio, niſi vel hanc alio loro alligari dixeris, vel de aureis fibulis ſeu auro textili coſtulam accipias. *Armillas* duas ex nummo veteri exhibuit *Antonius Auguſtinus* pag. IV. peripheria perfectâ non clauſas, quæ fibulis locum præſtant. Illarum hic typus: Copula ex auro vix fingi poteſt.



Muræniulis haud abſimiles ibidem circumductæ, quæ collo ap-

pendi ſolebant. Brachiis tamen non videntur indecoræ. Extant aliæ *armillarum* figuræ apud *Gruterum* in Inſcript pag. 358. fibulis adaptandis non inidoneæ.




Quas pro *armillis* haberi *Schacchius* Lib. III. Myrothec. cap. XLI. affirmat, niſi torquium potius ſint formæ, ut viſum *Pierio Valeriano* Libro XLI. Hierogl. cap. de Torq. Omnium autem communis & forma & uſus eſſe potuit. Veſtigia ſimilia ſuperſunt in anulo gigantis Iſlandici, qui ea eſt laxitate, ut *armillam* de facilè ſuppleat. Fibulis circuliſve connexas *armillas Petronius* indicat loco in Satyra elegantiſſimo: *Et ne has tamen oſten-*

Armillæ fibulis circuliſve connexæ.

oſtenderet divitias, dextrum nudavit lacertum armillâ aureâ cultum, & eboreo circulo lamina ſplendente connexum. Lunata eæ forma, fibularum veterum in morem, de qua *Plautum* Epid. Act. V. Sc. 1. interpretor, qui *Lunellam*, ſeu, ut alii legunt, *lunulam* natalitio die cum armea & anulo datam memorat. Non enim de lapillo anulari acceperim cum aliis, vel ideò, quod in Manuſcripto *Camerarii* aliqua literarum ſit lacuna. Quanquam & *armillæ* ſuos lapillos lunares habere poſſint, pari cum anulis jure. Hamum in Smaragdina *Paſchalini armilla* id præſtitiſſe vero ſit ſimilè, qui in altero capitulo eminet, ut ex appicta figura ſit evidens. Quod interdum clavis factum, ut in armillis Wormianis utrinque infixis, qui eximi poſſunt & reponi pro uten-

Hamo armilla connexa.

Interdum clavi.



tium voluntate. Ita autem extrema copulant, ut per utrumque trajiciantur. Sed quo pacto cutis erit tuta? Credo equidem non nudo brachio has *armillas* inductas, ſed manica interpoſita, roboris ergò. Quam rem *Iſidorus* pleniſſimè illuſtrat, hactenus à nemine intellectus, quia *armillæ* noſtræ tamdiu ſepultæ jacuerunt. Ita autem ille Libro XIX. Originum cap. 31: *Ampla & ante manicam portantur, & poſſunt ibi jungi clavo uno.* Iurares ante oculos habuiſſe noſtras, adeò cum clavis adhærentibus accuratè depingit. Scio ultima illa de clavo ſuſpecta eſſe Illuſtri Viro, ut inepti cujuſdam Monachi additamenta. Deſunt enim in pluribus Manuſcriptis, quæ videre licuit, & in optimis *Bartoli Bartholini* fratris perdilecti membranis, quæ modo ad manus ſunt, nihil tale invenias.

Ab hæmo quomodo cutis illæſa.

Quædam armillæ non nudo brachio inductæ.

C 7 Non

Non poſſum tamen à me impetrare illam licentiam, ut expungam, vel ideò, quod ad oculum clavos in *armillis* videam exemptiles, huic uſui deſtinatos. Aliæ clauſulâ jungebantur ad morem noſtrum. Quomodo legendum quoque apud *Capitolinum* judicat *Salmaſius* ὁ πάνυ, Not. ad Poll. *Dextrocherium cum cloſula*. Eſtque idem quod Græcis καβαλεῖς, & βάλανος, quæ reciproco paſſu ambulant pro clauſula *armillarum* moniliumque. Audiatur *Heſychius*: βάλανος, τὰ ἐξηρτημένα τῶν ὅρμων περὶ τὸν τράχηλον, καὶ τῶν δρυῶν ὁ καρπὸς, καὶ ὁ τῶν φοινίκων καὶ κλεῖδες. Vbi βάλανος κλεὶς vocatur, ſeu cloſula monilium, qua junguntur capitula. Βάλανον autem quid vetat & *armillis* concedere, quum huc inclinet *Ariſtophanes* Λυσιστρατ:

Clauſulâ armillæ júnctæ.

Βάλανος armillæ fibula.

Ω χρυ-

Ὦ χρυσοχόε. τὸν ὅρμον ὃν ἐσκεύασας
Ὀρχουμένης μου τῆς γυναικὸς ἑσπέρας,
Ἡ βάλανος ἐκπέπτωκεν ἐκ τοῦ τρήματος.

hoc eſt, ex verſione *Q. Sept. Florentis*:

Quod aurifex monile fabricaveras,
Dum noſtra ſero ſaltat uxor veſpere,
Elapſa pendens fibula è foramine eſt.

De *armillæ* fibula eò libentius hic βάλανον acceperim, quod videam veterem *Scholiaſten Biſetum* Tragœdi mentem ad obſcœnas utriuſque ſexus partes torquere. Nam βάλανον τὸ τοῦ ἀνδρὸς, καὶ τὸ τρῆμα τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον σημαίνειν δύναται. Quanta autem inter *armillam* & γυναικὸν μόριον ſit affinitas ſupra ex Coo demonſtravimus.

Βάλανος pro re obſcœna, ſed malè.

vimus. Nomine enim ſimili utrumque venit, βουβαλίου, ἀμφιδέου, & βαλάνου. Quod optimè aſſequutus eſt *Florens Chriſtianus* in hac Scena. Nam Fibulam in ſpinther commutavit ſequenti verſu:

ἐκείνῃ τὴν βάλανον ἐνάρμοσον.

ut ad illud *Plauti* in Menæchmis reſpexiſſe Poëtam oſtenderet:

Iubeaſque novum ſpinther reconcinnarier.

Foramina pro fibula armillæ trajicienda.

τρήματα illa in quæ τὴν βάλανον τοῦ ὅρμου ſeu κλεῖδα conjicit, in *armillis* Wormianis ſunt manifeſtiſſima, trium angulorum ſingula, &, quam clavi, ampliora. Nam clavi rotundo ſtilo incurvantur, capitulo ſeptenis circellis criſpato, quod obſcurè glyptes exſculpſit, qui nec in cæteris operis elegantiam eſt aſſequutus. Notantur enim in illis ſtriatæ lineæ quamplures & ſi imagines

nes præferrent, nihil peregrina antiquitas opponere poſſet, quæ clarorum Virorum vultus in *armillis* exſculpebat. In quam rem excutiendus *Trebellius Pollio* in XXX. Tyran. de Quieto: *Macrianorum familia Alexandrum Magnum Macedonem Viri in anulis argento, mulieres in reticulis & dextrocheriis, & in anulis &c. exſculptum ſemper habuerunt.* Quo concinit *Suetonius* in Nerone cap. VI: *Quæ fabula exorta eſt, deprehenſis in lecto ejus circum cervicalia ſerpentis exuviis: quas tamen aureæ armillæ ex voluntate matris incluſas dextro brachio geſtavit aliquandiu; ac tædio tandem maternæ memoriæ abjecit, rurſúſque extremis ſuis rebus fruſtra requiſivit.* Sed *armillas* noſtras, utpote militares eo nomine excuſabimus, quòd feminarum neutiquam fuerint.

Vultus virorum in armillis exſculpti.

§. V.

§. V. *Armillæ utrique ſexui familiares.*

Armilla & ſpinter muliebria ornamenta.

Nam peregrinæ *armillæ* muliebre præcipuè videbantur ornamentum. *Thomas Magiſter* apud me Manuſcriptus: ψέλλιον γυναικεῖος κόσμος: *Brachiale muliebris mundus.* Et *Feſtus*: Spinter *armillæ genus, quo mulieres utebantur.* *Plinius* quoque Lib. XXXIII. cap. 3: *Habeant feminæ in armillis digitiſque totis, collo, auribus, ſpiris: diſcurrunt catenæ circa latera, & incerta margaritarum pondera è collo Dominarum: auro pendeant, ut in ſomno quoque unionum conſcientia adſit.* A Matronis tamen temere uſurpantibus ad lupas ſeu ſcorta tranſiiſſe conqueritur *Tertullianus* de Pallio: *Iam matronas videbis. Cum latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem*

loco cervicem monilibus conſolatur, & armillas quas ex Virorum fortium donis ipſa quoque matronæ temere uſurpaſſent, omnium pudendorum conſcia, manus inſerit. Ad feminas enim vel dono Virorum, vel Legato Matrum pervenere. De Legato *Leges Anglorum & VVerinorum Tit.* VI. §. 6. *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniam dimittat: filiæ verò ſpolia colli, id eſt, murænas, nuſcas,* (hoc eſt, fibulas, ut Cl. *Gerardus Voſſius* exponit Lib. II. de Vitiis Sermonis Lat. cap. XIII.) *monilia, inaures, veſtes, armillas, vel quidquid ornamenti proprii videbatur habuiſſe.* Inter eadem ornamenta muliebria ad legatum recenſet *Vlpianus* ff. de auro & argento Legato. *armillas & viriolas.* Hinc apud *Tertullianum* de Pallio; Cinædus Cleomachus, quum ex pugile in feminam tranſiiſſet, viriolas induxit corporis cicatricibus:

Armillæ inter legata Matrum.

bus:

bus: *Vtique ſicut veſtigia cæſtuum Viria occupavit: ita & endronidis Solocem aliquâ multicia ſynthesi extruſit.* Veſtigia cæſtuum cicatrices ſunt, quas in capite pleruntque oſtentabant pugiles. Hinc quum in Manuſcriptis inveniatur *Virus*, pro *Viria*, putat Polyhiſtor *Salmaſius* in Not. ad Pall. Tertull. *Birus* reponendum, ſeu *Berus*, quod tutulus erat, capitis tegmen cicatricibus in capite occultandis accommodatum. Non refugit tamen Vir multiſcius vulgatam lectionem, quam retinuit, ut *Viriæ armillæ* ſint feminarum, quas loco cæſtuum inſeruit brachiis Cleomachus, poſtquam in feminam de Viro eſſet mutatus. Illam planè ego judico neceſſariam ad Afri mentem. Nam cæſti manibus lacertiſque inducti in luctationibus, quos effeminatus jam Cinædus cum armillis permutavit. Ex cæſtis veſtigia, non

Birus vel Berus capitis tegmen.

Cæſti in manibus lacertiſque.

non capiti, ſed brachiis impreſſa. Quin poſſunt veſtigia nudo ſenſu de cæſtuum loco explicari, in quem ſucceſſere *Viriæ*, ſeu *armillæ*. De his *Martialis* Lib. XI. Epigr. XXII. Lydiam adeò laxam decantans, ut Cinædi *armillam*:

Quam quæ Delphitico lapſa eſt
armilla *Cinædo*,

Vnde *Spatalocinædum Petronius* appellat in Satyrico cinædum ſpatale ſeu brachiali onuſtum. *Armilla* illa Bilbilici & fibula eſſe potuit, & *Viria*, quanquam hanc prætulerim, quia minus ex uſu Cinædis fibulæ laxiores. Feminarum autem adeò propriæ, ut in nomina tranſierint. Ita Lapis antiquus apud Inſubres, quem ex ædibus *Nicolai Caſtillionei* nobis dedit *Bonaventura Caſtillioneus*:

Spatalocinædus quid?

Viriæ in Nomina feminarum tranſlatæ.

V. F.

V. F.
PETRONIVS GEMELLVS
VIVIR SIBI ET VIRIAE
L. F. LVCILLAE
VXORI.

Sic & ſpatalia.

* A *Spataliis* dicta quoque eſt *Spatale* Nympha apud *Claudianum* in Epithalamio:

Et gravibus Spatale *baccis diadema ferebat*
Intextum, rubro quas legerat ipſa profundo.

Armilla ſignum mollitiei.

Inde mollitiei ſignum *armilla.* Nam apud *Senecam* Lib. In ſapientem non cadere injuriam, cap. XVIII. Chæreæ Tribuno militum; *Cajus ſignum petenti, modo Veneris, modo Priapi dabat, aliter atque aliter exprobrans armato mollitiam. Hæc, ipſe pellucidus, crepidatus armillatus.* Pro-

* Atqui monente me Cl. *Reineſio* manifeſtum quoque eſt eſſe etiam *Virios* familiam Romanam ex hiſtoriis & lapidibus notam, ſive à viribus, ſive undecunque ſic appellatam. Cujus exempla innumera ſuggerunt *Gruteri* Inſcriptiones.

Profluxerunt nihilominus à Viris. Vnde *Virilia Iſidoro* Lib. XIX. Originum cap. XXXI: *Dextrale eſt commune Virorum & Mulierum; quia utriuſque ſexus dextræ ſunt. Armillæ propriè Virorum. Vnde & quondam vulgo Viriliæ dicebantur.* Virorum itaque juxta ac feminarum ornatus. Niſi *Virilias* Virorum, *Viriolas* feminarum dixeris. Videtur ſanè *Plinius* Lib. XXXIII. cap. III. aliquid inter *Virias* & *Virilias* poſuiſſe diſcriminis: *Viriolæ* (vel ut alii *Viriæ*) *Celticæ dicuntur, viriles Celtibericæ. Vxorias* reponit quidem ex vetuſtiſſimo Codice *Bayſius* Libro de Vaſculis, pro fibulis uxoriis: Verum repugnantibus aliis Manuſcriptis, minoris nec antiquitatis nec fidei, & ipſo *Plinio*, qui per omnia luxus inſtrumenta decurrens primo fibularum injicit mentionem, mox periſcelidum,

Viriliæ à Viris dictæ.

Viriliæ Virorum. Viriolæ feminarum.

tum

tum anulorum, tandem *Viriarum*, quas ſtatim de *armillis* interpretatur, hæc narrationi ſuæ ſubjungens; *Habeant feminæ in armillis.* Quidquid ſit, communes ſunt feminis Viriſque *armillæ.* Nam *Exodi* xxxv, 22. Viri cum mulieribus *armillas & dextralia ad cultum* Divinum Tabernaculi extruendi *& veſtes ſacras contulerunt. Gloſſæ veteres.* ψέλιον ἀνδρὸς, *Brachionarium.* Vnde apud *Herodot*. Lib. VIII. ἄνδρες στρεπτοφόροι dicuntur, & ψελιοφόροι. Principibus inſuper Regibuſque familiares. De Caligula *Suetonius* cap. LII: *Sæpe depictas gemmataſque indutus penulas, manuleatus & armillatus in publicum proceſſit, aliquando ſericatus & cycladatus.* Thyum Dynaſtam Paphlagoniæ, captivum licet, Datames apud *Corn. Nepotem*, *ornavit torque atque armillis aureis, cæteroque regio cultu.*

Vtrique ſexui communes armillæ.

Armillæ Regum.

cultu. In Cari Imperatoris dextra *gemmas fulgentes*, ſeu *dextrocherium* adumbrat *Chryſoſtomus* in Laudat. Babylæ. Ad Conſtantium *Lucifer Caralitanus* de non parcendo delinquentibus: *Debemus vereri regni tui diadema, inaurem etiam & dextrocheria.* Mortuo Atila Proceres regni militeſque poſt ferales epulas *armillas* ejus protraxerunt, ut filo ſuo pertexuit *Iuvencus Celius Callanus* MS in hiſtoria Atilæ: *Armillas & armorum diverſa genera, equos, faleras, diverſoſque ornatus in medium producentes noctem totam crapulis ebrietatibus ac diſſolutionibus expenderunt.* Apud Indos potentiores, teſte *Æliano* Lib. de Var. Hiſt. & de Animal. Idque aliquo diſcrimine, quod ex *Q. Curtio* animadverto. Reges enim gemmas margaritaſque appendebant lacertis, alii nobiliores vel opulentiores au- Armillæ potentiorum apud Indos. Nobiles aurum Reges

D rum.

rum. Libro quippe VIII, de Indorum luxuria: *Brachia quoque & lacertos auro colunt, quibus inter populares aut nobilitas aut opes eminent.* At Lib. IX. de ornatu Regis Indici: *Brachia margaritis ornata erant.* Et ne ſacros prætereaın, Saulis brachio *armillas* detraxit parricida ejus Amalechites, Davidique obtulit ſucceſſori. Vbi LXX. τὸν χλιδῶνα τὸν ἐπὶ τοῦ βραχίονος αὐτοῦ. Vocem Ebræam אֶצְעָדָה. *Targum* vertit טוּמְפְּתָא *armillam* indice *Schindlero*, *Pagnino*, *Mercero* aliiſque. *Aquila* βραχιάλιον. A quibus nihil ſentit diverſum *Vulgatus*, *B. Hieronymus*, nec *Verſiones* aliæ abeunt. Sed de *armillis* Regum Iſraëlitarum conſule Lib. III. Eleochriſm. *Fortunati Scacchi* apud quem aliqua legiſſe memini, quum eum Romæ pervolverem. Ab his ad milites donaria tranſiere, geſtarum fortiter rerum

Reges gemmas in lacertis habebant.

Armillæ militum donaria.

rerum monumenta. *Florus* Lib. I. cap. I. *Sabinis prodita porta per virginem: nec dolo, ſed puella pretium rei, quæ gerebant in ſiniſtris, petierat, dubium clypeos an armillas.* Conſentit *Flavius Vopiſcus* in D. Aureliano, de eodem in Epiſtola militari ad vicarium ſuum: *Arma terſa ſint, ferramenta ſamiata, calceamenta fortia. Veſtis nova veſtem veterem excludat. Stipendium in baltheo non in popina habeat. Torquem, brachialem & annulum apponat.* Sic quippe legendum rectè, ſicut omnia, cenſet *Cl. Salmaſius*, ut Aureliani mens ſit, milites torquem & *brachialem* & anulum habere & gerere. Nam *apponere anulum* eſt induere, quemadmodum *ponere veſtem* pro induere *Tertulliani* de Pallio frequentata dictio. Aliqua tamen differentia *armillæ* dabantur. Non exteris, ſed civibus. *Pli-*

Tertulliano lux.

Armillæ civibus datæ non exteris.

Plinius Lib. XXXIII. cap. III. *Auxiliares & externos torquibus aureis donavere, at cives non niſi argenteis. Præterque armillas civibus dedere, quas non habent externi.* Quod ex *Plinio* hauſerat abſque dubio *Alexander* ab *Alexandro* Libro IV. Genialium dierum cap. XVIII. Equitibus familiares in Inſcriptione Matellica apud *Smetium* pag. 52. qui eam à *Nic. Florentio* habuerat:

Armillæ Equitum.

C. ARRIO. C. F. COR. CLEMENTI MIL. IX. COH. PR. EQVITI. COH. EIVSDEM DONIS. DONAT. AB IMP. HADR. TORQVIBVS ARMILLIS PHALERIS OB BELLVM DACICVM SINGVLARI PRÆF. FR. TESSERARIO OPTIONI.

quas *Armillas* quoque idem à Trajano obtinuerat in alia apud eundem Inſcriptione pag. 27. quam

quam videat cui volupe eſt. Numiſio Equiti Romano Veſpaſianus idem contulit donum, ut indicat Inſcriptio *Narniæ*, quam dedit nobis *Onuphrius Panuinus*, & repetiit *Smetius*, ſed alia forma *Gruterus*:

D. M.
C. NVMISIO. C. F. SCAPT
NVMMEIO
NAVILIANO
SENIORI
EQ. ROM. OMNIBVS. HONOR. IN. COL. NAR. PERFVNCTO DONATO. AB. IMP. CÆSARE. T. VESP. AVG. TORQ. ET. ARMILLIS. *II.* ET. HAST. PVR. *II.* ET. COR. VAL. II.
C. NVMISIVS. C. F. SEMPRONIVS. DECVR. *III.*
COL. NAR.
D. D.

Equites *armillis* argenteis contentos refert *Iulius Capitolinus* in

Ex argento Equitum armillæ.

in Maximinis. Geſtabant *armillas* quoque ſervi, Dominorum indulgentia. Vnde *armillata turba* dicuntur curſores ſervi apud *Suetonium* Neron. cap. xxx. Nec minus il!i qui in triumphis ludebant. *Appianus Alexandrinus* de Scipionis triumpho : *Imperatorem lictores præibant, purpureis amicti veſtibus ; tum Citharædorum, & tibiarum turba ad Hetruſcæ ſimilitudinem pompæ : Hi ſuccincti, coroniſque aureis redimiti, ſuo quique ordine canentes, pſallenteſque prodibant : horum in medio, quiſpiam talari veſte, fimbriiſque, atque armillis auro ſplendentibus amictus, geſtus varios edebat.*

Armillæ ſervorum.

§. V I. *Armillæ Sponſalitiæ.*

Carucrunt iis Virgines, *armillaſque* manibus ſuſpendiſſe infra

infra decorem putabatur. Hortatur enim Virgines *B. Cyprianus* de habitu Virginum, *ne inferant auribus vulnera, nec brachia includat aut colla de armillis & monilibus precioſa catena.* Ratio pudoris manifeſta.. Nam à Viris dabantur, ut virginitati ſuæ irent exſequias, de qua, acceptis *armillis*, tranſigebatur. Enimverò ſponſalium erant teſſeræ. A ſacris ordiar. *Geneſis* XXIV, ſervus Abrahami Rebeccæ futuræ Iſaaci conjugi, abſentis Sponſi nomine, inaures injecit & *armillas*, ut fatetur ipſus: *Et poſui inaurem ſuper faciem ejus, & armillas ſuper manus ejus.* Verbiſque proximè præcedentibus: *Et factum eſt cum vidiſſet* (ſc. Laban) *inaurem & armillas in manibus ſororis ſuæ.* צָמִיד in Hebræo occurrit. *Vulgatus* armillam, LXX. ψέλιον vertunt optimo conſilio, qui & hoc ad-

Armillis virgines carebant.

Armillæ ſponſalitiæ.

dunt ex mente primi idiomatis, fuiſſe ψέλλια δύο. Aliud vinculi amatorii teſtimonium præbet ſcortum *Geneſ.* XXXVIII, 18. 25: Quærenti enim Iudæ, & de concubitu paciſcenti, quid ſibi vellet pro arrhabone dari, reſpondit ſimulato vultu Thamar nurus ejus: *Annulum & armillam & baculum quem manu tenes.* Vbi פְּתִיל quid ſit, litigant Interpretes. LXX. per ὁρμίσκον ſeu monile exponunt. *Rabbi David* per pallium ſeu faſciam. Hunc ſequuti *Pagninus*, *Tremellius*, *Iunius & Buxtorfius* in Concord. *ſudarium* reponunt. Nec aliter *Danus Interpres*, en Pæſeklud. *Vulgatus*, *armillam*, quo cum lubentes facimus, ſi de *armilla* ex filis ſeu aureis ſeu argenteis torta animus fuit explicare. Nam פְּתִיל perpetuam in Codice ſacro fili induit ſignificationem, præſertim *hyacinthini*, ut *Exod.* XXVIII. 28. 37.

Armillæ furtivi amoris indicia.

28. 37. xxxix, 3. *Num.* xv, 38. fili linei *Ezech.* xi, 3. fili ſtupæ *Iudic.* xvi, 9. panniculi *Num.* xix, 15. Vnde Hebræorum Magiſtri in *filo neto*, vel *torto* ferè conſentiunt, quandoquidem פתל *contorquere* notat, & *colluctari.* *Armillæ* verſio ex ejuſdem commatis loco fulcitur *Ezech.* xxiii, 42. ubi de ſcortatione cum externis proſtibulis: *Ac ſi daturi eſſent armillas manibus ipſarum, & coronam ornatus capitibus ipſarum.* Hinc ad Virgines ſacras, quæ Chriſto, tanquam Sponſo, perpetua ſe devoverunt caſtitate, *B. Ambroſius* in Vita S. Agnetis: *Ornavit inæſtimabili dextrocherio dextram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretioſis.* Neque profanis Sponſalitiæ armillæ ignorantur. Ita apud *Plautum* Act. iii. Sc. iii. Menæchmis dicit ſe cum *Spinthere* etiam *armillas* amaſiæ ſuæ Erotio dediſſe:

Vbi illæ armillæ *ſunt*, *quas una*
dedi:

De his *Flaccus* Lib. 1. Od. 1x.

Nunc & latentis proditor inti-
mo
Gratus puellæ riſus ab an-
gulo,
Pignuſque direptum lacertis,
Aut digito malè pertinaci.

Pignus lacerti quid? *Pignus lacerti*, *armilla* eſt ſponſalitia pignoris loco à proco circumdata, quale Iuniam Fadillam ſibi deſponſaverat Maximinus Iunior, in juventute tamen præmatura morte exſtinctus. Arra regia. Arra regia in illorum catalogo appellatur quæ poſt Sponſi fatum Sponſæ relinquebantur. *Iulius Capitolinus* pro his loquatur in Maximino Iuniore: *Deſponſata illi erat Iunia Fadilla*, *proneptis Antonini*: *quam poſtea accepit Toxotius ejuſdem familiæ Senator*, *qui periit poſt præturam. Manſerunt autem apud eam arræ regiæ*,

regiæ, quæ tales fuerunt, ut Cordus loquitur, ex iis quæ in harum rerum perſcrutatione fuiſſe dicuntur: monilium de albis novem, reticulum de praſinis undecim, dextrocherium cum coſtula de hyacinthis quatuor. Firmat propoſitum jocoſa hiſtoria *Clitophonis* Rer. Gal. I. *Cælio Rhodigino* Lib. VIII. Antiquarum Lectionum cap. XIII. memorati. *Galatarum Rex Bremus, quum depopularetur Aſiam, Epheſum cum exercitu venit, ac in Epheſiæ puellæ amatorios incidit laqueos. Ea vero congreſſuram ſe pollicita eſt, inſuper & Epheſum prodituram, ſi pſellia ſibi & mundus contribueretur muliebris. Adnuit Barbarus, ac militibus imperavit, in eam conjicerent quod haberent aurum, quo avarior puella adobruta periit.* Quod hauſit *Rhodiginus* ex *Plutarchi* parallelis minoribus cap. 15. Vxores factæ in armario ſpon- Armarium pro

D 6

conden-dis ar-millis. ſponſalitias condebant *armillas.* Quod ex *Plauto* didici Menæchm. Act. III. Sc. III:

Hoc eſt quod olim clanculum ex armario
Te ſurripuiſſe ajebas uxori tuæ.

Planè ad morem noſtrarum, quæ nuptæ arrâ Sponſi armarium exornant, quod **Schmückkammer** vocant. In ſepulchra illatæ armillæ. Olim in æternam gratæ copulæ memoriam in ſepulchrum ſibi voluerunt inferri. Auctor *Schævola* in Lege Medico, XL. ff. de Auro & argento Legato: *Funerari me arbitrio Viri mei volo, & inferri mihi quæcunque ſepulturæ meæ cauſa feram ex ornamentis, lineas duas ex margaritis & viriolas ex ſmaragdis.* Vel teſtamento legabant. *Paulus* in Lege *ſi tibi electio* ff. de optione vel electione legata: *ſi ex quatuor viriolis duæ, quas elegiſſem, mihi legatæ ſint: ſive duæ ſolæ ſint relictæ, ſive ab initio*

duæ

duæ ſolæ fuerint, valet legatum. Inter muliebria quoque Legata *Vlpianus* lege xxv. §. 10. ff. de auro & argento legato recenſet. *Ornamenta muliebria ſunt quibus mulier ornatur: veluti inaures, armillæ, viriolæ, anuli præter ſignatorios, & omnia, quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa,* &c. Præ cæteris enim Mater filiæ legabat, ut ex *Legibus Anglorum* ſupra obſervavimus. Vnde inter ornamenta muliebria jure hæreditario illæ tranſierunt armillæ, quæ dono maritorum non venerant.

§. VII. *Varius Armillarum apud varios Vſus.*

Armilla ornamenti loco.

Ornamenti autem gratia cunctis feminiſque Viriſque collatæ. Suidas: ψέλλιον, κόσμος τῆς χειρὸς, *brachiale* manus ornamentum.

Lexicon noſtrum Manuſcriptum: ψέλλιον. κόσμος τὶς καὶ καλλωπισμὸς: *Mundus quis & cultus ſuperfluus.* Idem *Vlpianus* ſancivit, in Lege ſæpius nominata. Divina vox eſt *Ezechielis* XVI, 10: *Ornavi te ornatu, indens armillas manibus tuis, & torquem collo tuo.* In eandem rem diſſerit *Eccleſiaſtes* XXI, 24: *Velut ornamentum aureum eſt eruditio ſapienti, & inſtar armillæ brachio dextro.* Stratilax *Plautinus* Truc. Act. II. Sc. II. ad Aſtraphium ancillam:

An eo bella es tu, quia accepiſti
arme adveniens.

Vbi alii *arma* legunt. Rectius *Ian. Mellerus Palmerius* in Spicilegio *armeas* pro armillis. *Ioſephus Gorionis* Lib. I. hiſt. Daniel. cap. XIV. ex Interpretatione *Munſteri*, in ænigmate Zerubabelis de mulierum potentia: *Propter mulieres, ut illis ematis jocalia deſiderabilia, aurea & argentea,*

varia

varia ornamenta & monilia precioſa, incluſoria aurea, myrrham &c. Incluſoria *armillæ* fuere, quod brachia includant proprio velut vinculo ſeu fibulis. Hoc ornandi ſtudio Legatis Reges Perſarum *armillas* dabant, teſte *Æliano* Lib. I. Var. hiſt. cap. XXII. ſpectantque hæc ad venerationem fere & cultum ſacratiorem, quem & Legatis & Sponſis & fortibus Viris debuit grata antiquitas, quemadmodum Platanum arborem *armillis* & torquibus veneratus eſt *Xerxes*, cujus hiſtoriam texuit *Ælianus* Lib. I.I. Var. hiſt. cap. IV. Taceri non debet vana veterum ſeptentrionis Regum religio, qui Othini cujuſdam (unde Danis **Onſʒdag** / Dies Mercurii illi ſacer) divinitatis titulo celebris effigiem aureo complexi ſimulachro Byzantium tranſmiſerunt, ejuſque brachiorum lineamenta con-

Incluſoria armillæ quid?

Legatis armillæ datæ.

Platanus arbor armillis decorata.

In Othini effigie brachiis armillæ additæ.

confertiſſimo *armillarum* pondere perſtringebant. Cujus deinde conjunx Frigga, quo cultior progredi poſſet, aſcitis fabris, aurum ſtatuæ detrahendum curavit, ut prodidit diſertiſſimus *Saxo* noſter Libro I. Ad memoriam quoque conferebant, ob cordis per micantes in carpo venas viciniam, ut ubique etiam abſentes ſint præſentes donatores. A quo *armillarum* uſu metaphoram mutuatur Iehovah *Exodi* XIII, 9, ut imis populi medullis præcepta ſua infigat: *Vt ſit tibi in ſignum ad manum tuam, & in monimentum inter oculos tuos.* Quæ eadem ſententia repetit *Deut.* XI, 18: *Etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro frontalibus inter oculos tuos.* Appendices hic denotant טוֹטָפוֹת, & *ornamenta*, præſertim brachii, à טָפַף *inceſſit*, quia geſtantur, vel quod loco non

Armillæ memoriæ adminicula, quare?

non moveantur cui in rei memoriam hærent appenſa. Eodem inſtituto Natali die offerebantur *armillæ* Natalitiæ. *Plaut.* Epid. Act. v. Sc. 1: Armillæ Natalitiæ.

Non meminiſti me auream *ad te afferre natali die?*
Lunulam atque anellum aureolum in digitum?

Quam lectionem quoniam confirmant Manuſcripti *Codices*, ut fatetur *Camerarius*, retinentque *Editiones* pleræque; inde facili mutatione *Cl. Meurſius* in *armeam* transformat, diminutam ex *armilla* vocem. *Lambinus* autem aliique *inaurem*, neſcio quo veterum teſtimonio, elegerunt. Annulos enim *armillaſque* natali die donatas invenio, inaures nuſquam. Ad *Armillas* Natalitias intendit digitum ſuccino ſuo *Iuvenalis* Satyra IX. & Calendis Iani à Clientibus Miſſitata *Spatalia* caryotarum cecinit *Mar-*

Martialis Libro VIII. Epigram. 33. & XIII. Epigram. 27. Non alio animo militibus ex bello feliciter reverſis diſtributa armorum brachiorumque ornamenta, quorum ope fortiter res geſſerant, quam ut hæc virtutis præmia ſe iiſdem meruiſſe brachiis recordarentur. Quo *Iſidorum* pertraho non invitum Libro XIX. Originum cap. 31: *Armillæ propriè Virorum ſunt collatæ victoriæ cauſa militibus ob armorum virtutem.* Vt & *Polybium* de Mil. Rom. *Imperator ei qui hoſtem percuſſerit haſtam donat, qui verò dejecerit & ſpoliaverit, pediti quidem phialam, equiti phaleras.* Pro φιάλην *Lipſius* legit ψάλιον, *armillam.* Cujus nemo ſatis admiretur eruditionem. Illi accedit *G. Gualtherus* Anim. ad Tab. Sicil. CCCC. Nam phialæ non niſi ſemel in *Vopiſco* inter caſtrenſia præmia numeratæ, armillæ

Armillæ Virtutis militum præmia.

Phialæ inter præmia caſtrenſia.

millæ centies. Artarxerxes quippe, referente in ejus Vita *Plutarcho*, interfectum à ſe Cyrum volens, variis belli ducibus dona miſit, ea lege & conditione, ne ad alios laus facinoris deveniret. Vnde Mithridati, qui Cyrum ſauciaverat primus, dona miſit, eo quod ſtratum equi Cyriani retulerit. Dona illa quæ fuerint, in convivio deinde effatur Sparamixe, quum ad illud regiis ornatus veſtibus accederet Mithridates: ὡς καλὴν ἐσθῆτά σοι ταύτην, Μιθριδάτης, ὁ βασιλεὺς δέδωκε, καλὰ δὲ στρεπτὰ καὶ ψέλλια· πολλοῦ δὲ ἄξιος ὁ ἀκινάκης. *Vt elegantem hanc tibi veſtem, Mithridates, Rex donavit, elegantes & torques & armillas, jam præcioſiorem acinacem.* Ad hæc Samnitico bello finito ob invictam fortitudinem, ut teſtatur *Livius* extremo Lib. X. *L. Papirius Sp. Papyrium fratris filium, & quatuor* Armillæ fortitudinis documenta.

Cen-

Centuriones manipulumque haſtatorum, armillis, aureiſque coronis donavit. L. Siccius Dentatus Tribunus Plebis ſtrenuus bellator apud *Agellium* Lib. II. Noctium Atticarum cap. XI. *pugnaſſe in hoſtem dicitur centum & XX. præliis; cicatricem averſam nullam, adverſas quinque & XL. tuliſſe; coronis eſſe donatus aureis octo, obſidionali una, muralibus tribus, civicis XIIII. torquibus tribus & LXXX. armillis plus centum* LX. De quo Vetus Lapis:

IDEM SPOLIA CEPIT. XXXIV. DONATVS. HASTIS. PVRIS. IIXX. PHALERIS. XXV. TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMILLIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVICIS. XIII. AVREIS. VIII. MVRALIBVS. III. OBSIDIONALI. I. FISCO. AERIS. X. CAPATIVIS. XX. IMPERATORES VII. IPSIVS. MAXIME. OPERA. TRIVMPHANTES. SECVTVS. DO-

Domeſticum hujus præmii habemus exemplum, ne externa longius advocemus. Invidendus enim patriæ hiſtoriæ conditor *Saxo* Lib. III. narrat, Roricum cum exercitum contra Sclavos pararet, Vbboni magnanimo, corpore præſtanti & incantandi artibus pollenti, de induſtria certaminis præmium perquirenti, *armillas* ſpopondiſſe. Sed, ut erat in navigio collocatus, *armillas* ingenti excuſſas jactu petitori quum ſtatueret porrigere, conatum ejus feſelliſſe interſtitii magnitudinem. *Armillæ* enim languido, ac parum vegeto motu, citra deſtinatum locum collapſæ fluctibus interceptæ ſunt. Trajanum Divum hoc nomine laudat fragmentum *Inſcriptionis* veteris:

Armillæ certaminis præmium.

DO-

DONIS. DONATO. AB DIVO TRAIANO. AVG. TORQVIBVS. * ARMILLIS. PHALERIS. BELLO. PARTHICO &c.



Nam, ut eleganter *Iuvenalis* Satyra ultima extremo:

Ipſius certè Ducis hoc referre videtur,
Vt qui fortis erit, ſit feliciſſimus idem,

Vt

* De diſtributione horum donorum memoria quoque in nummis Imperatoris Cæſaris Nervæ Trajani.

Vt læti phaleris omnes, & torquibus omnes.
Quem locum de armillis non injuria accepit *Stevvechius* Libro II. Commentarii ad Vegetium De M. Aurelio alia ad Columnam Trajani Romæ viſitur:

M. AVRELIVS. M. F.
CELSVS
PR. LEG. II. AVG. C.
:: :: :: :: :: :: :: :: :: :: :: :: ::
OMNIBVS. EX. PEDIT. ET
HONORIB. PERFVNCTO
DONIS. DONATVS. AB
IMP. CÆS. AVG.
BELL. ACT. SICIL. ET.
HISP. TORQ. ARMIL. ET.
PHAL.
III. ----------------------
L. AVRELIVS. CELSVS
EQ. SING. AVG.
PATRIB. M. P.
MIL. ANN. XVI. VI. ANN.
XXXXI. M. VI. D. M.

Calbei

Calbei armillæ donativæ.

Calbei dictæ hæ donativæ *armillæ*, ut obſervat *Feſtus*: *Calbeos armillas dicebant, quibus triumfantes utebantur, & quibus ob virtutem milites donabantur.*

Formula doni militaris.

Formulam doni hujus militaris inter alias interſeruit Lib. IV. *Barnabas Briſſonius*, ex *Valerio* mutuatam Lib. VIII. cap. XIV. Fuitque hæc: IMPERATOR TE ARGENTEIS ARMILLIS DONAT. Victoribus etiam ex ludis ceſſerunt. *Julius Capitolinus* in Maximinis: *Natali Getæ, filii minoris, Severus militares dabat ludos, propoſitis præmiis argenteis, id eſt, armillis, torquibus & balteolis.* Claudium quoque *armillis* & torquibus ob certamen ludicrum donavit Decius, ſi credimus *Trebellio Pollioni* in D. Claud. Eodemque ingentis *armillæ* dono urbanitatem dicti Wiggonis proſequutus eſt Rolfo Krage apud *Saxonem*

Armilla victorum præmiũ in ludis.

Gram-

Grammaticum Lib. II. Refonem Rex Norwagiæ Goto magni ponderis *armilla* donavit ideo tantum, quod cum cultius & familiarius habuiſſet, ut *idem* Lib. VIII. ſcriptum reliquit. Ita eſt profectò. Corruptis hominum moribus ad jocos migravit virtutis præmium, & quod ornamenti loco fuerat, ad luxum tranſlatum. Sed venia illis, quia & noſtrum ſeculum in his ſibi ignoſci vult. Minatur verò Jehova *Eſaiæ* III. 19. 20. *Tempore illo amovebit Dominus ornamentum iſtud periſcelidum, ocellataque opera, & lunulas, Myrothecidia catellaſque bracteolas. Tiaras* (אֶצְעָדָה, LXX. χλιδῶνες) *& armillas, redimiculaque & amuleta.* Arrogantiam & φιλόκοσμον Gallorum hoc titulo taxat *Strabo* Lib. IV. Geographiæ, quod πρὸς τοῖς βραχίοσι καὶ τοῖς καρποῖς ψέλλια, καὶ τὰς ἐσθῆτας βαπτὰς φοροῦσι καὶ χρυ-

Ad luxus inſtrumentum migravit armilla apud Varios.

σοπάσυς, *circa brachia ac manus cum brachio commiſſaram* (ita carpum deſcribit *Xylander*) *brachialia geſtant.* Inde χλιδῶνες dictæ, quaſi deliciæ, luxurioſæ. Nam χλιδὴ apud *Suidam* eſt τρυφὴ, ἔκλυσις καὶ μαλακεία: *Delicia, luxus, diſſolutio, mollicies.* De luxu Samiorum Duris apud *Athenæum* Lib. XII. Deipnoſophiſtarum: *De Samiorum luxu Duris citat Aſii carmina, quibus traditur armillas* (χλιδῶνας) *in brachiis geſtaſſe.* Antonino pariter vitio vertebatur, quod mollitie feminina fractus & alieno cultu elatus *armillas* geſtaverit. Id tradit *Herodianus* Libro V. in Macrinum: *Veſtitum uſurpans luxurioſum, purpura intextum atque auro, monilibuſque & armillis redimitus*, περιδεραίοις καὶ ψελλίοις. Ad decipiendum oculos Virorum cum reliquo ornatu comparatas *Iudithi* exemplo Sacer ſcriptor c. x. perſuadet:

Armillis conſpiciendis corporis faces quærebant.

ſuadet: *Quumque ſumens ſandalia adhibuiſſet pedibus ſuis, & circumpoſuiſſet brachialia & armillas, annuloſque & inaures ac totum mundum ſuum, denique venuſtè ſe compoſuiſſet valdè ad decipiendum oculos Virorum.* Sed quemadmodum ad ſacra pertinebant, ita & ad ſuperſtitionem, ne conſuetam aliarum rerum conditionem refugerent. Vſus in ſacris. Nam *armillas* veſtibus Aharonis tribuit *Arias Montanus* in Antiq. Iud. quas anulos vocat ob utriuſque ſimilē ſtructuram: *Hoc rationale, ſeu pectorale quatuor armillis ſeu annulis, ad quatuor angulos affixis auctum erat: ex duobus ſuperioribus ligabatur catenis duabus aureis, in ſpintris formam contortis.* Volente id factum videtur ſcriptura divina. Quippe *Exod.* xxxv. 12: *Quidquid ad cultum & ad veſtes ſanctas neceſſarium erat, Viri cum mulieribus præbuerunt, armil-* Armillæ in ſacris.

LYON

las & inaures, annulos, murænulas & dextralia. Quo loci חָח *armillam* reddunt *Hieronymus* & *Vulgatus*, haud ineptè, ſi ſiquidem חָח genus ſit fibulæ vel unciæ *armillis* haud incongruæ. Lxx. tamen σφραγῖδας prætulerunt, pro *dextralibus* verò περιδεξίας. Pari religione ad expiationem contulerunt. *Numeri* xxxi. 50: *Offerimus oblationem Iehovæ quiſque quod nactus eſt, inſtrumentum aureum, periſcelidem, aut armillam, anulum, inaurem aut cingulum pendulum, ad faciendum expiationem pro animis noſtris coram Jehova.* Ambigua vox אֶצְעָדָה, quià צעד *incedere* derivatur, *Hieronymo Vulgatoque* periſcelides ſignificat, rectiùs Lxx. τὸν χλιδῶνα, & *Pagnino*, *brachiale*, quod & calculo ſuo probat *I. Druſius* Comment. ad Num. cap. cxxviii. ita enim 2. *Sam.* 1. 10. accipiendum quoque ex textu conſtat. Ab Eccle-

Armillæ ad expiationem collatæ.

ſiis

ſiis ad forum devolvebatur olim in Republica Iſlandica, ſacri juramenti teſſera. Fidem faciet *Arngrimus* patriorum morum callentiſſimus, cap. VII: *Cujus religionis fuit ritus, ut juramentum præſtituri, adhibitis teſtibus, annulum in ara Deorum aſſervari ſolitum, & in foro judiciali à judice ſupremo in brachio geſtatum* (quare de *armilla* verius acceperim) *hoſtiarumque ſanguine illinitum, attrectarent.* Rupibus triviiſque ſuſpendit Frotho Magnus Danorum Rex ad ſubditorum explorandam fidem. Loquatur *Saxo*, quia nemo melius, Lib. v. circa umbilicum: *Armillam unam in rupe, quam Frothonis petram nominant, alteram apud VVig provinciam, defixit edictæ à ſe innocentiæ experimentum daturas.* P. p. *In Iutia, tanquam in capite Regni ſui, magni ponderis auream armillam triviis affigi curavit.* Similia

Armilla juramenti ſacri teſſera apud Iſlandos.

Armillæ rupibus triviiſque quare ſuſpenſæ?

milia de Ælfredo Anglorum Rege recenſet *Matthæus Weſtmonaſterienſis* ad Annum DCCCXCII. qui per publicos aggeres, ubi ſemitæ ſinduntur in quadrum, armillas jubebat aureas appendi, ut viantium aviditatem irritaret, cur non eſſet qui eas acciperet. A *Saxone* in ſuſpicionem venit *Fortunius Licetus* Vir Clariſſimus Libro de Anulis cap. XL. de cornu aureo nuper in Dania eruto, ad explorandam Præſidum vigilantiam in biviis olim quoque ab Haraldo Rege fuiſſe expoſitum. Quod quanquam factum non inficietur Cornu hujus aureus vindex *Olaus VVorm* in ſecunda Aur. Corn. editione & Epiſtola ad Licetum; quam, ne periret, hujus calci ſubnectendam curavi: tamen neutiquam eum in finem initio conditum vel inde firmius credit, quod rudi maſſa aurea, aut minori labore

Cornu aureum Danicum ad explorandam Præſidum vigilantiam.

bore

bore in aliam redacta figuram idem commodè potuerit præſtari. Et ſanè exploraturi fidem alicujus, non illuſtri adeò & ſignato monumento, quod facilè à quovis agnoſcitur ad Regem pertinere, ſed communi ſigno tentamus, quod ſuſpicionem apud perfidos amovet agnoſci poſſe. Magna præterea inter *armillas* cornuque eſt differentia, illæ pluribus communes eſſe potuerunt, hoc regium planè opus, abſcondi difficulter aptum. Nec *armillas* in hunc conditas uſum affirmat *Saxo*, ut exponerentur, ſed alio fine antea factas à Frothone jam ad hunc uſum fuiſſe traductas. *Armillæ* quippe ad armorum manuſque ornamentum principe ſcopo deſtinabantur. Vicinum *armillarum* officium erat ad inſidias mercandas: Nam Regem Canutum Toroni armillam auream donaſſe perhi-

Armillarum primarius uſus.

Alius earundem uſus.

bet *Snorro Sturleſon* in Chronico Norwegiæ, ut Olai Haraldi, Regis Norwagici vitæ inſidiaretur, dubio procul memoriæ cauſa. Abſcondidiſſe verò in cubiti parte ſuperiore ſub manica. Quod quum ad Olaum per amicum fuiſſet delatum, ipſe arrepto, quaſi neſcius, brachio, & ad ſuperiora manum pertentando deduxit, tumidumque, ut dictum fuerat, eo loci deprehendit. Quod nudato brachio, quia tumorem cauſabatur, magis apparuit. Vnde debitas *armillæ* perfido animo acceptæ inſidiator pœnas Regi dedit. Tandem, ne longius abeam, ſuperſtitioſæ medicinæ inſerviebant armillæ. Augent nummos in arca. Apud *Saxonem* Gevarus Lib. III: *Mimingo* (ſylvarum ſatyro) *armillam eſſe mira quadam arcanaque virtute, poſſeſſoris opes augere ſolitam.* Dolores

Armilla opes poſſeſſoris augebat.

lores

lores ſedant mulierum. *Plinius* Lib. XXVIII. cap. 4: *Pueri qui primus ceciderit dens, ut terram non attingat incluſus in armillam, & aſſiduè in brachio habitus, muliebrium locorum dolores prohibet.* Expugnant rabioſorum venenum & febrium ardorem extinguunt. *Plinius* idem cap. VII: *Lais & Salpe canum rabioſorum morſus, & tertianas quartanaſque febres menſtruo in lana arietis nigri, argenteo brachiali incluſo, ſanari tradunt. Diothymus Thebanus veſtis omnino ita infectæ portiuncula acu vel Licio* (ſeu *pellicio*, ut alii libri) *brachiali inſerta.* Quæ fortaſſis ut incluſoriis appendebantur brachiis nulla alia religione, niſi quod commodius ita carpo medicinæ applicitæ ſervari potuerint. Verva eborea in brachio Epilepſiæ curandæ *Scribonii Largi* Comp. XVI. de *armillis* accipienda

Muliebrium locorum dolores prohibebant.

Medebantur rabioſorum veneno & febrium ardori.

Armillæ Epilepticis conferebantur.

Verva e-borea unde? Armillæ in amatoriis efficaces.

pienda quis non videt? Dicta à vertendo, ob circularis formæ amplexum, vel ab averruncando inſtar amuleti. Amantium denique procurabant conatus. *Plinius* enim Lib. XIII. cap. 25. ex Iuba auctor eſt, Troglodytarum feminas *ſpathalia* ſua ex frutice Charitoblephara confeciſſe, quod hic frutex efficax eſſet in amatoriis. Hinc *ſpathalia* à Menæchmo exigit ancilla apud *Comicum* Act. III. Sc. 3. ut ipſum libenter videat.

Amabo, mi Menæchme, inaureis da mihi
Faciundas pondo duûm nummûm ſpatalia.

Vbi *ſtalagmia*, genus inauris legunt plurimi; ſed quum præceſſerit inauris, aliud ornamentum hoc nomine indigitavit, præſertim cum ancilla *armillis* quoque videatur ineſcata quas ex arma-

armario heræ ejus dederat. Cæterum, ne de externis nimium ſimus ſolliciti, monent *armillæ* Danicæ, quæ in Muſæo Wormiano aſſervantur, ut quid veteribus Danis præſtiterint beneficii, coronidis loco inquiramus. Quanquam autem obſcura hic ſint veſtigia, dictat tamen animus, ſi verè, judicabunt Doctiores, *armillas* iſtas militaria fuiſſe inſtrumenta, ut robur brachio & firmitatem ictibus adderent. Eo enim *armillarum* lignearum & acutarum genere brachia muniunt hodie Itali Gallique in ludo, quem *Ballon* vocant, ad tumidas pilas fortius vibrandas. Quam conjecturam noſtram firmat *Saxo* æternum patriæ ornamentum Lib. II. in Biarconis declamatione ad arma exciti:

Armillæ Wormianæ ad robur brachio addendum.

Itali Gallique quid Ballon dicant?

> Armillas *dextræ excipiant, quo*
> *fortius ictus*

Collibrare queant, & amarum
figere vulnus.

Ad excipiendos ictus ſatis denſæ ac firmæ.

Non abludit forma ampla ſatis, nec compacti anuli duodecim, apti qui per lacertos longius diſtendantur, nec denique ſingulorum pondus roburque. Ita quippe denſatas verbis præcedentibus innuit *Saxo*:

—— pugnemus apertis
Pectoribus, totoſque auro denſate lacertos.

Armillæ inter militaria inſtrumenta.

Certè inter militaria organa *armillas* olim habuiſſe locum nec diſſimulat *Saxo*, nec alii peregrini. *Ille* enim Libro jam laudato in Hialti ad commilitones exhortatione:

Enſes Theutonici, galeæ, armillæque *nitentes,*
Loricæ talo immiſſæ, quas contulit olim

Rolvo

Rolvo ſuis, memores acuant in
prælia mentes.

Xenophon verò manifeſtum præbuit indicium Libro VI. Pæd. Cyri, de Panthea uxore Abradatæ currus falcatos in uſum Cyri inſtruentis: *De pecuniis ſuis aureum ei thoracem & auream galeam* καὶ περιβραχιόνια *confecit.* Vnde *brachialem* apponere militem ſuum Aurelianus apud *Flavium Vopiſcum* præcepit. Et inter ſpolia ex captis Gallis in Capitolio ſuſpenſa *Polybius* Lib. II. recenſet *aureum brachiale, quod circa manus & collum portabant Galatæ.* Sed quid appendiculæ illæ duæ forma circulares & oblongior altera? Fuit cum ſuſpicarer in ſacrificiis Danorum ad excitandum ſonum ſacrificulos adhibuiſſe, ſicut in ſacris Cybeles tintinnabulis uſi Sacerdotes: Sed jam animo ſedet, quia de

aliis Barbaris notum, concuſſu & ſonitu iſto vel ad prælia incendiſſe animos militum, vel hoſtes terruiſſe fremitu. Alioquin *armillas* manu concuſſas crepitaſſe, ſine dubio horum circulorum opera, (niſi laxiores fuiſſe credamus,) ex *Epigrammate veteri* docemur, in quo χρυσοκρόταλον dicitur σπατάλιον, *ex auro* nempe *crepitans brachiale*:

Armillæ manu concuſſæ crepitabant, & quomodo?

Τὴν χρυσοκροτάλῳ σειομένην σπατάλην.

Sive quod appendiculas aureas habuerint illæ, quæ noſtris æneæ, ſive quod fluitantes in brachiis crepitaverint. Quid ſi ad cæſtus pugilum has referamus armillas? Cæſtibus profectò haud abſimilis forma, licet arctius applicari nequiverit. Cæſtus enim lamina erat ænea loris alligata manibus, diſtinctis clavorum punctis ſeu fer-


Armillæ pro cæſtibus pugilum.

Cæſtus quid?

ferreorum ſeu plumbeorum, ut ex variis antiquitatum monumentis probant *Aldus Manutius* Lib.I. Epiſt.Quæſt.8. *Mercurialis* Lib. II. Gymnaſticæ artis c. 9. apud quem & ſuis lineis reperies expreſſum. Cæſtus autem antiquis Danis neutiquam ignotos, auctorem habeo *Saxonem* primo Lib. III. de Hothero. *Natationis, arcus, cæſtuumque peritia, nec non quantamcunque ea ætas capere poterat, agilitate pollebat.* Ad quem locum vide quæ erudite poſt *Manutium* & *Mercurialem* annotavit Cl. *Stephanius*: ego cæſtus non malè referre armillas noſtras auſim pertendere, quandoquidem conjecturæ eo uſque ſidendum, donec clariora veſtigia emerſerint. Nam veterum fautores id habemus incommodi, ut de iis quæ temporibus noſtris defuncta ſunt, ex ingenio potius, quam veritate, cogamur

Antiquis Danis non ignoti.





mur nonnunquam ſentire. Princeps culpa ad majores noſtros redit, qui in agendis rebus fuere feliciores quam deſcribendis, ad arma promtiores quam ad literas. Idque data opera: ne gloriam illorum armis lacertiſque anteverteremus, futurorum providi, de armillis aliiſque levioribus ſilentio aſtuto inter nos lites ſuſcitarunt, ut dum illi de virtute, nos de lana certaremus.

DE ARMILLA

Verſus ex Libro II. Argenidis.

DIcite ſurgenti confinia littora Phœbo:
Quam nitidus veſtris hic Deus exit aquis?
Cum tingit virides hilari fulgore Smaragdos;
Aut facit, ô adamas, te ſibi luce parem;
Pallentemve onychem, varum vel jaſpida miſcet,
Vel cui purpureo nomen ab igne venit.
Cæruleaſque notas & flammis implet, & auro,
Ceu variat puras comptior Iris aquas.
Hæ tamen haud uno cunctæ ſub littore gemmæ
Naſcuntur: Nam cui gloria tanta ſolo?

His

His nitet immenſus Ganges, his flavus
Hydaſpes;
Eſt & Erythræi lucida concha ſali:
Vna omnes armilla *tenet; per omnibus*
una;
Omnis in hac oriens lucida texta coit.
Di ſuperi! pretium nitidæ formamque coronæ!
Quam volet amplecti tanta corona manum?
Vt natat in ſolidis lux alternata lapillis!
Oraque venantum quàm bene gemma facit!
Dives en hic cervus, quem ditia tela fatigant;
Et leo, quem pretio cerno tumere ſuo.
Lemnius? an nondum Telchines naufraga ſaxa
Artifici gemmas ſic poſuere manu?
Digna quidem Iovis hæc vibrare armilla
lacerto,
Cum quatit imbrifera luce coruſcus humum.

Ipſa

Ipſa licet dives, placata hoc munere Iuno,
Poneret offenſi jurgia ſæva thori.
At te ſeu veri, ſeu famæ gloria tangit,
O quiſquis tanta brachia dote coles;
Vince animo cenſum; ne hæc optima ſaxa putentur,
Tuque genus Pyrrhæ vilior eſſe lapis.

IN-

INDEX AVTORVM

Qui in Schedio citantur, notantur vel illuſtrantur.

A.

A*Bn. Iſraël.*	*Pag.* 13
Accurſius.	52
Ælianus.	33. 87
Alex. ab Alexandro.	76
Ambroſius.	11. 81
Antonius Auguſtin.	57
Appianus.	78
Apuleius.	2. 14
Arculphus MS.	7
Arias Montanus.	99
Ariſtophanes.	62
Arngrimus.	54. 101
Athenæus.	18. 37
Autor Etymologici Magni.	10
B.	
I. Barclaius.	32
Bartolus Bartholinus.	61
Laz. Bayfius. 7. animadverſus.	12. 71
Becmannus.	11
Bellonius.	51
P. Bembus.	31
Ph. Beroaldus vindicatus.	2
Boiſſardus.	35
Bonaventura Caſtillioneus.	69
Barnab. Briſſonius.	11. 96

Bu-

Budæus. 4
Buxtorfius. 80

C.

Camerarius. 45. 59. 89.
Iul. Capitolinus. 6. 21. 39. 41. 55. 56. 60. 77. 82. 96
Caſaubonus. 37. 56
Cato. 14
Celſus. 31
Chryſoſtomus. 35. 73
Claudianus. 13. 70
Cornelius Nepos. 72
Curtius. 37. 73
Cujacius. 39

D.

Danus Interpres. 80
I. Douſa notatus. 2
I. Druſius. 9

E.

Eccleſiaſtes. 86
Epigramma Vet. 110
Ezech. 16. 86

F.

Feſtus. 1. 5. 23. 50. 66. 96
Florentinus Codex. 3
Nic. Florentinus. 76
Florus. 75

G.

Galenus. 10. 45
Gellius. 19. 92
Geta

Geta apud Autorem MS. 30
Gloſſæ Iſidori. 3
Gruterus. 58. 77
Gualterus. 90

H.

Fr. Habela. 33
Dion. Halicarnaſſ. 28
Herodianus. 98
Herodotus. 45. 72
Heſychius. 10. 11. 31. 42. 62
Hieronymus. 17
Hippocrates. 10. 31. 45
Homerus. 31
Horatius. 13. 82

I.

Lxx. Interpretum lapſus. 18
Ioſephus Gorionis. 86
Iſidorus. 6. 11. 14. 27. 42. animadverſus. 51. 61. 71. 90
Iudith. 7
Hadr. Iunius. 21. 25
Iuvenalis. 12. 13. 34. 89. 94
Iuvencus Celius Callanus MS. 73
Io. de Laët. 19. 39

L.

Lambinus. 89
Leges Anglorum. 66
Lenſalia. 6
Lexicon MS. Autoris. 86
Licetus. 102
Lindenbrogius. 6

Livius

Livius. 22. 28. 32. 54. 91.
Lucifer Caraletanus. 73
Lucilius. 3

M.

Ammian. Marcellinus. 37
Georg. Magnus. 29
Manilius. 37. 38
Ald. Manutius. 111
Martialis. 34. 69. 90
Val. Maximus. 51
Mercurialis. 111
Io. Meurſius. 89
Fr. Modius. 38

N.

Nonius Marcellus. 3

O.

Olivarius. 19. ejus lapſus. 12
Ovidius. 24

P.

Pacatus Drepanus. 38
Pagninus. 16
Palatinus Codex. 3
Palmerius. 86
Onuphr. Panvinius. 77
Petronius. 33. 58
Philander. 4
Laur. Pignorius. 24. 39. 43
Fel. Platerus. 33
Plautus. 6. 23. 29. 54. 59. 64. 81. 84. 86. 89
Plutarchus. 83. 92
Treb. Pollio. 6. 65. 96

E *Pol-*

Pollux. 8. 10. 15. 27.
Polybius. 9. 45. 90. 109
Ant. Popma. 4
Priſcianus. 5
Propertius. 24
Prudentius. 14

R.

Reineſius. 70
Cæl. Rhodiginus. 6. 7. 15. 19. 25. 83
I. Rhodius. 26

S.

Salmaſius. 53. 55. 75
Saxo Grammaticus. 22. 46. 49. 50. 54. 55. 75. 89. 93. 96. 101. 104. 107
Io. Scaliger. 25. animadverſus. 34
F. Scacchius. 58. 74
Scævola. 84
Scribonius Largus. 33. 105
Scylax. 32
Seneca. 28. 70
Seneca Tragicus. 13
Smetius. 52. 76. 77
Snorro Sturleſonus. 19. 104
H. Stephanus. 5. 26
Stewechius. 95
Strabo. 8. 28. 97
Io. B. Suarez. 39
Suetonius. 24. 65. 72. 78
Suidas. 8. 9. 11. 26. 44. 85. 98

T.

Tertullianus. 5. 11. 46. 53. 66. 67

illu-

illuſtratus. 75
Thomas Magiſter apud Autorem MS. 66
Tranquillus. 51
Tremellius. 25

V.

Pier. Valerianus. 58
Varro. 3.4.25
Vlpianus. 12. 67.85
Fl. Vopiſcus. 6.15.30.75
Ger. Voſſius. 21.67

W.

Ol. Wormius. 44.46.102

X.

Xenophon. 8.18.45.55.109

INDEX

Rerum & Verborum notabilium.

A.

Armeæ. Pag. 6

Αμφίδεες. 10

Αμφίδεον. 45 64

Anguis in armilla. 55

Anulus Gigantis. 43

Anulus narium. 26

Armarium. 83

Armile. 1

Armillæ notio. 1

in ſphæra armillari. 3

forma circularis. 42. arctior & teres. 46

ſtructura laxior. 46. 53

circulus ſimplex vel plures. 46

Armillæ aureæ. 28

argenteæ. 32

eburneæ. 33

æreæ. 33

ex ſuccino, gemmis & margaritis. 13. 34 35. 37. 38. 41

Armillæ geſtatæ ſupra flexuram cubiti. 19

in ſummo bracchio. 19

in dextris. 21

in ſiniſtris. 22

in utroque brachio. 21. 23

ab utroque ſexu. 21. 72

Armillæ Danicæ. 47

Earum uſus. 107

Ar-

Armillæ pro vinculis pedum. 24
pro millo canum. 24
pro perforandis labiis. 26
pro cingulo renum. 27
ad maxillas tranſlatæ. 25
Armillarum moles. 53
pondera. 54
primarius uſus. 103
Armillum, vas vinarium. 1.3
ad Armillum redire. 2
Arra regia. 82

B.

Βάλανος armillæ fibula. 62
Birus vel Berus capitis tegmen. 68
Bracelet. Gallicum. 6
Bracherium Chirurgorum. 27
Brachiale. 6.7
Brachionarium. 6
Βυϐάλιον, ornatus Brachii. 10
muliebris natura. 10.64

C.

Cæſtus pugilum. 98.110
Calbei. 96
Chodaces. 4
Cingulum Renum. 27
Clavis connexæ armillæ. 59
Clauſula armillæ. 62
Cnici. 6
Copula armillæ. 55.56
Corniculi. 51
Corpu aureum Danicum. 102

Curſores armillati. 4. 24

D.

Dextrale, Dextrariolum. 6. 7
Dextrocherium. 6. 21. 73
Dona militaria. 94. 96

E.

Echini. 6
Ἕλικες. 31
Ἐνώτια. 18
Epilepticis conferebant armillæ. 106
Equitum armillæ. 76. 77

F.

Fibulæ pro perforandis labiis. 26
Fibulis connexæ armillæ. 58
Filum Hyacynthinum. 80. Lineum. Tortum. 81. aureum ad vinciendos dentes. 31

H.

Halteres. 6
Hamus armillæ. 59. 61

I.

Inaures. 79. 89
Iuramenti teſſera armilla. 101

K.

Κρίκοι, armillæ. 44
Χλιδῶνες. 8

L.

Lapis viridis, quid apud *Horatium*. 13
inter Legata Matrum armillæ. 67. 85
Lunellæ. Lunula. 59
Luxui dicatæ armillæ. 97. 98
Melium. 25

Me-

M.
Memoriæ conferebant armillæ. 88
inter Militum donaria & Militaria inſtrumenta armillæ. 74. 108
Monile. 13
N.
Natalitiæ armillæ. 89
Nobilium armillæ. 74
O.
Ornamenti loco armillæ. 85
P.
Pedes anulati. 38
Pericarpia. 15
Περιχέρια. 10
Phialæ, prœmia caſtrenſia. 90
Pignus lacerti. 82
Ψέλλια. 8. 9
Pſile, quid apud Dores. 19
R.
Rebrachiatorium. 27
Regum armillæ. 72. 74
S.
Sepulchris illatæ armillæ. 84
Servorum armillæ. 78
Smaragdina vaſa. 59
Spatale, Nympha. 70
Spatalocinœdus. 69
Spinter. 4. 5. 23. 66
Sponſalitiæ armillæ. 79
Sputum obductum armillis. 33. 34

Tor-

T.

Torquis in brachio. 49
in Triviis quare expoſitæ armillæ. 101

V.

Verva eborea. 33
Veſtibus armillæ tributæ. 99
Viriæ. 11. 68. 70. 69
Viriliæ. 71
Viriolæ. 11. 12.
Virtutis prœmia armillæ. 90
Vngulus. 50. 52.

F I N I S.

Olai Wormii

DE

AVREO CORNV DANICO

AD

Fortvnivm Licetvm

RESPONSIO

Cum Ejus brevi deſcriptione & Eruditorum judiciis.

LECTORI
CASP. BARTHOLINVS
TH. F.

CVm editioni priori Opuſculi *Parentis de Armillis* annexa eſſet *Olai Wormii*, Antiquitatum Septentrionalium vindicis celeberrimi, *Reſponſio ad F. Licetum de Aureo Cornu* in Dania reperto; ut hujus Epiſtolæ, publico digniſſimæ, cauſam ſciret Lector, ſtatui in rei illuſtrationem, quam pauciſſimis potero; ex *Wormio* hujus Cornu hiſtoriam repetere, cujus hic icona non invitus communico. Ipſe *Wormius*, qui multis nominibus immortalem à Patria iniit gratiam, ſingula in Monumentis ſuis Danicis laxiori calamo perſequitur. Ego pauca quæ ad rem facient adducam.

Regnante in Dania Divo *Chriſtiano* IV. reparatæ ſalutis Anno MDCXXXIX.

die xx. Iulii, puella Dana *Chriſtina* Suenonis filia in Ripenſi Cimbriæ Diæceſi Cornu hoc aureum in itinere caſu invenit. Conſtat illud ex duplici lamina, quarum interior ſolida eſt & integra, lævis utraque ſuperficie, exterior vero non continua eſt, ut prior, ſed ex undecim conflata contiguis quaſi latis anulis ſuis internodiis diſtinctis. Qui tamen omnes ejuſdem nec ſunt latitudinis nec craſſitici. Conflatum eſt ex obryzo puriſſimo, rotundum & incurvum, pronâ parte pedes duos Romano & quinque pollices longitudine æquat ſupinâ parte pedes duos & unum pollicem. Linea recta ab una extremitate tranſverſim ad aliam ducta, pedem unum continet & pollices novem. Orificium majus ex quo bibitur in circumferentia pedem unum implet, in diametro pollices quatuor. Minus orificium in ambitu quatuor pollices in diametro pollicem unum cum ſemiſſe. Totum Cornu tam capax eſt, ut liquor duos ſextarios cum ſemiſſe capiat. Per



die
Su
ceſ
inv
na
gr
vè
un
an
ta
ni
ol
vt
&
ſu
ce
tr
u
fi
fe
m
ci
m
tt
d

det uncias nonaginta novem & drachmas duas abſque globo cochleato octangulo, noviter addito, qui *Chriſtiani* IV. nomine inſignitur. Emblemata varia ſeptem Circulis continentur, quæ breviter enarranda.

Circulus primus labro vicinior major eſt & amplior reliquis, ideoque duplicem Emblematum ordinem & Hieroglyphicorum ſeriem continet, quæ omnia eo directa eſſe cenſet *Wormius*, ut humanæ vitæ miſeriam oſtendant & media quibus illa evitari poſſunt. Id enim indicare in primi ordinis Emblemate primo hominem nudum manibus pedibuſque expanſis, conſtitutum inter ſerpentes duos; Et hominum vitam parum à beſtiis differre, in emblemate ſecundo beſtiam illam ſignificare humano capite, cui utrinque aſſidet homo manibus ad cœlum porrectis. Pravis reſiſtendum monet homo telo viperam abigens. Denique in ultimo Emblemate alium quaſi mirabundum inducit *Wormius*, atque avaritiam ex-

plicat per avem piſcem roſtro petentem.

Ejuſdem annuli ſecunda ſeries eundem quem prima hieroglyphicorum ſenſum habet.

In ſecundo circulo honeſta corporis exercitia Eques exhibet, cum homine utraque manu gladios ventilante, & alio adhuc, qui arcu & ſagittis inſtructus feram petit. Tandem vir grandævus, barbatus, & ſacerdotali habitu, cornu mulſo repletum habens, ex ingenioſa *Wormii* conjectura, animum à ſeriis interdum relaxari jubet.

In tertii Circuli initio *Wormius* hominem eſſe vult alium mactantem & crebris vulneribus afficientem, alludentemque forſan ad veterum Danorum morem apud *Saxonem*, quo devictis hoſtibus, in majorem ignominiam, proſtratis gladium circa ſcapulas ad ſpinam dorſi adigebant, coſtaſque magno vulnere facto utrinque à ſpina ſeparabant. Sed ab hac *Wormii* conjectura diſſentit *Licetus*, qui, quia contendit figuram

illam

illam ſupinam videri, ſignificari hoc Emblemate putat mulierem Danicam veneficam, quæ ex captivi necati extis vaticinaretur Cimbris; idque ex *Strabone* confirmat. Sed ex mente *VVormii* hoc & reliqua in eodem circulo Emblemata evidenter depingunt bellorum atrocitatem & incommoda, quod &, qui hic ſequitur, Centaurus indicat quaſi homo furibundus, & duo lupinâ & caninæ facie, quorum alter gladio falcato, alter ſecuri armatus eſt.

Pacis commoda quarti Circuli cælatura adumbrat, per Paſtorem armenta paſcentem.

Quintum Circulum Prudentiæ commendandæ dicatum vult *VVormius*, dum ſpeculum homini in belluinam formam à vitiis redacto oſtenditur, aſtantibus ſerpentibus, quibus prudentiam ſacræ paginæ tribuunt.

In ſexto Circulo Iuſtitiam proponit caput grande oculis deſtitutum, quaſi aures quaſdam prægrandes habens & inferius duas divaricationes, inter be-

ſtias duas conſtitutum. Adſunt & hic, præter lilium, quinquies terna puncta & duplicis crucis figura, quæ *VVormium* præteriiſſe miratur *Licetus*, qui ex binis crucibus ætatem hujus Cornu colligit ſub Haraldo Rege, quo regnante Dania Chriſto nomen dedit.

Septimus Circulus & ultimus, ultimum vitæ finem continere videtur in duobus illis mortuorum oſſibus, ab utriuſque medio dependente vexillo quadrato gemino. Novem præterea corda punctulis notata, inſigne Regis Cimbrici gentilitium indigitaſſe vult *Licetus*.

Et hæc ſunt quæ ex *VVormio* & *Liceto* ad enumerationem Emblematum hujus Cornu adducenda judicavi. Vlterius illi progrediuntur, atque diſputant prolixiùs de tempore, quô fabrefactum; quod, cum ante Dei cultum fuiſſe credat, ſub Frothone Magno ſtatuit *Wormius*. De uſu vero cornu hujus inveniendo major ut difficultas ita inter illos diſſenſio. In bello tubæ vel litui vicem

habuiſſe

habuiſſe facile foret creditu, niſi non minori ſpecie veri dici poſſet pro poculo forſan inſerviiſſe. In antiquorum ſacrificiis Scaldros, Runas, & ſacerdotes Danicos ejus ſonitu populum convocaſſe, quod inducit *Wormius*, arridere poſſet, cum tale quid veteribus haud inſuetum videam, apud quos bubulum cornu, quod buccinam vocabant, adhibitum ad cives convocandos, ut de temporibus Romuli *Propertius* Lib. IV. El. I.

Buccina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Vnde *Iſidorus* etiam vocabuli etymologiam repetit, qui *Buccinam à voce quaſi vocinam* derivat, quod *Pagani* eâ vocabantur. In inunctionibus Regum balſamo vel oleo capiendo deſtinatum crederem, ut de Cornu olei in Salomonis unctione teſtantur ſacra monumenta 1. *Reg.* 1. Si non potius buccinam talem dicerem, quâ totum populum clangentem ibidem legimus. Ad tentandum Præſidum vigilantiam & abſtinentiam à

ſurtis, juſſu antiquiſſimi Regis apud Cimbros, Cornu hoc fabrefactum perſuadere nobis conatur *Licetus*, ideoque in bivio Ripenſi expoſitum. Simulachra vero omnia quibus artificioſiſſimè elaboratum eſt, indicaſſe putat Regis Danici mores & attributa belli paciſque tempore, quod ex propria ſua Emblematum ſingulorum explicatione confirmat Comment. de Anulis Antiq. cap. xxxvi. quamvis ibi non in omnibus *Wormii* opinioni adhæreat, ſed paulo liberius de quibuſdam judicat, ſolâ Cornu delineatione edoctus, quæ multo aliter *Cl. Wormio* viſa ſunt, qui ſolus ad ipſius cornu conſiderationem ſingula accuratiùs exigens, veluti oculatus teſtis, pluris faciendus, quam auriti decem. Itaque quæ ex ſola delineatione minus ſufficienter haurire potuit *Licetus*, cum tamen de omnibus judicium ferre vellet, ſingulatim recenſet, explicat atque reſolvit *Wormius* in *Reſponſione* ſua, quam hic habes, Lector, ſubnexis de eodem cornu *Eruditorum judiciis*,

tiis, quæ olim *Parens* meus collegit & cum Obſervationibus de *Vnicornu* Patavii edidit, quæque inde huc transferre commodum judicavi. Vale, mi Lector, & tanto noſtro *Wormio* ſplendenti olim in Patria, nunc in cœlo beatorum, ſideri, quam meruit, quamvis ex merito vix poteris, æſtimationem largire.

Viro Celeberrimo

Dn. D. FORTVNIO LICETO,

In Academia Patavina Profeſſori Medico eminenti S. P.

ERuditiſſimum tuum de Annulis veterum librum, redux ad nos exhibuit Clariſſimus Vir Dn. D. THOMAS BARTHOLINVS, amicus utrique communis. Eo autem avidius perlegi, quod omnia, quæ hactenus abs te profecta vidi, rarâ & reconditâ eruditione referta animadverterim. Nec me ſpes in aurei hujus voluminis luſtratione fefellit. Quotquot enim in hoc genere vidi Autores, tantum ſuperare mihi videris, quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi. In primis verò animum exhilaravit cap. XXXVI, in quo, non ſolum (contra invidorum quorun-

dam rictus) aureum noſtrum in Dania inventum Cornu, tanti æſtimas, ut dignum judices in quo bonas horas loces; ſed etiam facto ipſo, ingenioſiſſimè & nervoſiſſimè id præſtas, ut inter omnes qui nervos ingenii in eo enodando intenderunt, emineas, ac palmam facile referas. Mei verò quod ſæpius mentionem facias honorificam, eſt quod gratus agnoſcam, & ad mutuum amorem & benevolentiam obligatum me profitear. Non diſplicent ingenioſiſſimæ tuæ de Hieroglyphicis conjecturæ nec multum à meis abludunt meditationibus; quod lætus vidi, atque eo nomine nobis totique patriæ gratulor. In levioribus quibuſdam diverſum ſi ſtatuamus, ea tanti non ſunt, ut aut commune humanitatis rumpant vinculum, aut contentionum inter nos moveant turbas. Æquo tamen animo Humanitatem Tuam laturam confido, ſi de quibuſdam monuero quæ animadverti commodè non potuerint, niſi ab eo qui ipſum cornu manibus triverit, & in eo

luſtrando curam adhibuerit diligentiorem. Circuli tertii Emblema primum, quo exhibetur homo alterum mactans, ſive explicetur per priſcum ritum noſtratium, plagam Aquilinam hoſtibus inferentium, ut vult *Saxo* noſter; ſive per modum quo Cimbricæ vates Sacrificia peregerunt, ex mente *Strabonis*, non multum refert, & eodem res recidere videtur. Quamvis locum à Te ex *Strabone* adductum, cum hac imagine dum confero, non minorès difficultates pati is videatur, quam ea quæ nos ex *Saxone* produximus. Ita verò *Strabo* lib. 7: Ἔθος δὲ τῶν Κίμβρων διηγοῦνται τοιοῦτον, ὅτι ταῖς γυναιξὶν αὐτῶν συστρατευούσαις, παρηκολούθουν προμάντεις ἱέρειαι πολιότριχες, λευχείμονες, καρπασίνας ἐφαπτίδας ἐπιπεπορπημέναι, ζῶσμα χαλκοῦν ἔχουσαι, γυμνόποδες: τοῖς οὖν αἰχμαλώτοις διὰ τοῦ στρατοπέδου συνήντων ξιφήρεις. Καταστρέψασαι δ' αὐτοὺς ἦγον ἐπὶ κρατῆρα χαλκοῦν ὅσον ἀμφορέων εἴκοσι· εἶχον δὲ ἀναβάθραν, ἣν ἀναβᾶσα ὑπερπετὴς τοῦ λέβητος, ἐλαιμοτόμει ἕκαστον μετεωρισθέντα· ἐκ δὲ τοῦ προχεομένου αἵματος εἰς τὸν κρατῆρα,

τῆρες, μαντείαν τινὰ ἐποιῦντο &c. *Strabo* ſæminas haſce vocat divinationis peritas & Sacerdotes, προμάντεις eſt in Græco, vates vocant quidam, quia ut paulo poſt loquitur, μαντείαν τινὰ ἐποιῦντο: non igitur aſſequor, quare à Te appellentur mulieres Danicæ incantatrices & veneficæ, niſi exiſtimes omnes Ethnicorum ſacerdotes & vates tam maſculini quam ſequioris ſexus, veneficiis ſacra ſua peregiſſe. Quin harum habitum à *Strabone* delineatum ſi expendamus, nec hic cum icone quadrare videtur. πολιότριχες, inquit Strabo; at noſter ſeu noſtra, ſi ita lubet, vix capillorum oſtentat rudimenta, tantum abeſt ut longos mulierum cirros exhibeat. Vatibus iſtis veſtis alba: hic noſter nudus plane; unde nec linteis è carbaſo, ſubter tunicam fibulis nexis, nec Zonâ ullâ aheneâ indiget. Pedes quidem nudi, cum totum corpus tale ſit. Hæc de habitu. Perpende jam, Vir Clariſſime, ſacrificandi ritum, cum inſtrumentis neceſſariis & modo ipſo, nihil horum tuæ opinioni favere

mihi

mihi videtur. Vbi hic Crateris veſtigia, ad quem captivus protrahebatur? ubi pulpitum quod agiliter ſcandere ſolet ſacrificatura? ubi Lebis? ubi crater ſanguini excipiendo deſtinatus? Modum aſpice: non in ſublimi tollitur jugulandus noſter: ſed decumbit ſupinus. Iugulabatur captivus, juxta Strabonem; noſter vulneribus quatuor abdomini inflictis (ſi præcisè omnia examinanda) mortem ſubit. Si ultima verba huc ſaltem ſpectare putas, cur pluribus vulneribus ſcinditur venter? cur inteſtina in conſpectum non protrahuntur? quorum ſpeculatio maxime neceſſaria erat. Sed hiſce non immorabor, cum exiſtimem in tantis antiquitatum tenebris omnia tam accuratè examinari non debere. Hoc verò non poſſum non monere, quod pag. 165, ubi fabricam cornu percurris, tredecim numeres in eo annulos, quod & pag. 185, innuere videris, contra ocularem demonſtrationem toties à me factam. Deceptum te arbitror internodiorum numero, quæ

cir-

circulorum non conſtituunt numerum. Vltimi enim duo minores annuli, quos tu quatuor putas, diſcreti non ſunt, ſed quilibet eorum bina obtinet internodia. Hinc non me, ſed te in numero horum annulorum hallucinatum eſſe vides. Vnde non miror in aliis quoque fabricam hujus cornu ſpectantibus erratum eſſe, cum plus Glyptæ imperitiæ, quam fideli meæ tributum ſit relationi. Optaſſem virum excellentiſſimum, toties aureum iſtud cornu manibus ſuis triviſſe, quoties ego, qui minutiſſima ejus momenta ſtudio haud levi ſum rimatus, de quibuſdam quin longè aliter judicaſſet, non dubito. Animadvertiſſes quoque, ſine dubio, quid cauſæ fuerit, quod duplicis crucis figuram & terna puncta quater (quinquies volebas dicere, ut infra) in ſexto annulo formata omiſerim, ut pag. 174. conquereris. Hæc enim omnia ad figuras ſignificativas (ut ita loquar) hujus cornu non ſpectant. Nam nec punctulis conſtant laminæ impreſſis, nec anaglyptice eminent, ut reliqua.

Sed

Sed foramina ſunt hujus figuræ, exteriorem laminam penetrantia, quod aliter adumbrare Glyptes non potuit quam nigro colore, quo umbroſas corporum partes exprimere ſolent pictores. Nihil igitur denotare poſſunt ſimile reliquis; ſed uſum aliquem habuiſſe mihi perſuadeo. Sereniſſimus Princeps noſter CHRISTIANUS V. qui jam Cornu illud poſſidet, hiſce foraminibus gemmas ad ornatum inſertas fuiſſe exiſtimat, conjecturâ probabili. Ligamenta & lora hiſce aptari potuiſſe, quibus cornu collo aut humeris geſtantis alligabatur, dicere quis poſſet. Sed nihil certi hac in re ſtatuo, cum arbitrer nodos & articulos, annulos diſtinguentes, huic muneri abundè ſufficere potuiſſe. Quamvis verò ex hiſce foraminibus duo illa majora in quibus lineæ decuſſatim ſe ſecant, figurâ cruces referant; hoc tamen voluiſſe artificem, mihi perſuadere non valeo: anaglyptice enim aut punctatim id præſtitiſſet potius, ut reliquis figuris hæc eſſet conformis; quam circulum perforando. Ejuſ-

Ejuſdem cenſus eſt & foramen, quod literam vocas Pythagoricam, quæ tam aliena eſt à noſtra Literatura, quam Pythagoras ipſe à Runis. Mirari igitur deſinat Vir Clariſſimus, ſi ego αὐτόπτης ea hic obſervaverim quæ commode in tabella exprimi nequiverint, quæque alii ex Schematiſmo haud rectè colligunt. Quod pag. 176. probare allaboras, Cornu aureum in hunc ſolum uſum fabricatum, ut eo præſidum vigilantiam tentaret Rex, quicunque tandem is fuerit (Nam de Haraldo id non memorant Hiſtoriæ noſtræ) eo nomine, *quod Regi nullus fuerit labor cornu artificioſè fieri mandare, quodque alia figura, eadem carere non potuerit objectione; quodque rudis maſſa facilius occultari poſſit à fure, quam cornu tam magnum miro artificio conditum.* Non video qua ratione hinc ſequatur, in nullum alium uſum fabricatum illud fuiſſe quam quod eo præſidum vigilantiam exploraverit Rex. Rem juſta lance ſi ponderaveris; videbis armillas fabricatas ut brachia cingant: annulos,

ut

ut digitos; cornua ut inflentur: ſed biviis expoſita hæc, fidem hominum iis ut tentarent. Si Rex annulum ſuum quem digitis geſtabat expoſuiſſet ad præſidum vigilantiam tentandam, an idcirco quis ritè inde collegiſſet non alio fine fabrefactum fuiſſe? cum tamen manifeſto conſtaret, Regem hunc elaborari curaſſe, digitum ut ornaret, atque hoc officium per aliquot annos ſuſtinuiſſe potuit, antequam in ſecundarium iſtum uſum traduceretur. Si inter finem fabricationis & finem expoſitionis diſtinxerimus, veritas erit in propatulo. Mirum Tibi v. c. & difficile creditu non eſſet, *aureum cornu Danicum adeo magnum, adeò grave fabrefactum fuiſſe ad uſum litui buccinæve, ſeu venatoriæ, ſeu bellicæ*, ſi alia ejus generis apud nos extantia majora & ponderoſiora ex ære vidiſſes. Arhuſiæ in patria mea, unum extitit æreum, quod, me puero, ad ſuos uſus traduxerunt Muſici, quod ſive pondus ſive magnitudinem ſpectes, aureo hoc erat duplo majus, alibi apud nos plura ſunt

ejus

ejus generis. Is qui in noſtris non eſt verſatus antiquitatibus, & fragmenta ac rudera variarum rerum adhuc extantia non viderit, multa eorum veri ſpeciem non habere exiſtimabit. Exterorum ejus generis luſtra Cornua, quantum Rolandi fuiſſe exiſtimas, *Olivant* dictum, de quo diſſeruimus Monument. Danic. lib. 5? Quantum Alexandri Magni quo totum exercitum diſperſum colligere valuit, cujus diameter quinque fuit cubitorum, ut de eo doctè diſſerit *Athanaſius Kircherus* lib. 2. Artis magnæ lucis & umbræ parte 1. c. 7. ubi ex profeſſo de eo agit. Nec refert *anſulis deſtitutum quod fuerit noſtrum cornu ut ſic aſſiduè manu geſtari neceſſum ſit, ac ſic inter dimicandum venandumque non exiguo foret impedimento.* Caruit enim anſulis Alexandri Magni cornu, carent & anſulis tubæ bellicæ vulgares, quæ jam in uſu, nec tamen aſſiduè manibus geſtantur, & quamvis duplo aut triplo majores ſint noſtro cornu, buccinatoribus tamen in bello nullo ſunt impedimento. Quidni igitur & hoc

no-

noſtro cornu contingere poſſe credendum? Quod regeris, vir eximie, experientiæ & oculari demonſtrationi repugnat. *Ad commiſſuras* ſcil. *annulorum eminentias non tam extuberare prominereque videri, ut lora facilè diſcurrere non permiſerint.* Cui hic jam credendum, Domino *Liceto* qui cornu illud aureum nunquam vidit, ſed ex icone ſaltem rem æſtimat; an mihi, qui toties manibus illud tractavi, & minutiſſimos apices non ſemel magnâ curâ ſum rimatus, candido cenſori æſtimandum relinquo. Quod pagina ſequenti 177. conquereris, me præteriiſſe punctatas iſtas imagines quæ annulo primo proponuntur, id quo jure fiat, æſtiment illi qui legerunt ea quæ de ipſis ſcripſimus pag. 71. primæ editionis Aurei cornu, & pag. 428. ſecundæ editionis Monumentis Danicis inſertæ ubi diſertius, quid de iis ſentiendum in genere monuimus. Ego potius jure videor hoc in Te, Vir Clariſſime, deſiderare poſſe, quod figuras & imagines eminentes & principales miſcueris cum punctatis

tis & minus principalibus, quæ alterius ſunt naturæ & artificii, quæque tantam curam requirere non videntur. Et miror ego cur non pari ratione explicaveris fimbrias triangulares in ſingulis internodiis, cum punctulis etiam conſtent & ejuſdem cum reliquis punctatis ſint cenſus, quas à me præteritas arbitraris. Quæreret forſan aliquis, quibus indiciis colligat doctiſſimus *Licetus*, hominem ſiniſtra deſtitutum ſacerdotem eſſe? cum æquè nudus ſit ac reliqui, nulloque habitu ſacerdotali præditus, omneſque qui hanc imaginem vident, ſatis judicare valeant, non ſtudio, ſed caſu abruptam & demptam ei eſſe ſiniſtram. Tantum refert rem non ex imaginibus, ſed ex ipſius nativa indole & conſtitutione deſcribere. Pag. 183. ſuſpicaris in imaguncula ſexti annuli *non aſpici naſi eminentiam nec oculorum aut oris ulla veſtigia, quod obliterata fuerint ob auri mollitiem attritione à duritie telluris, in qua diu neglectum jacuit, & compreſſione tum puellæ inventricis cornu, anxie ſollicitèque purgantis, tum aurificis, idem juſſu regis repurgantis.* Hanc

ſuſpi-

ſuſpicionem facile Tibi exemiſſet ipſa repurgati cornu conſtitutio, ſi vidiſſes. Quin tecum cogita, qui fieri potuiſſet, ut tantum huic uni figuræ, politura deceſſiſſet, reliquis minoribus ſalvis? ſi tantum auri proportionaliter, omnibus icunculis fuiſſet abraſum, plus profectò in pondere fuiſſet deſideratum, nec imagines & figuræ reliquæ, tam exactè ſuis lineamentis quod debebunt repræſentarent. In numero annulorum quod pag. ſequenti erratum ſit, ex ſupra dictis patet. Non enim ſex ſunt minores, ſed quatuor, extremis duobus peculiari artificio duplicatis. Sed Tibi Vir Clariſſime, hæc aliaque minutiora condonanda, quæ non ex icone peti poterant, ſed re ipſâ, & meâ relatione, cui fides omnino debetur. Optarem iterum, manibus & oculis ipſum aureum Cornu uſurpare ut poſſes: quin de quibuſdam longe aliter pronuntiaturus eſſes non dubitarem. Vſque dum hoc detur, mihi oculato teſti crede & favere perge. Vale Hafniæ V. Kalend. Decemb. Anni M.DC.XLVI.

T.

OLAVS WORM D. Med. Prof. Regius.

Eruditorum Iudicia
DE
AVREO CORNV OLAI WORMII.

Lectori Candido
THOMAS BARTHOLINVS.
Patavii MDCXLV.

EN tibi ſincera de Aurea *Olai VVormii* Diſſertatione, non tam Latii quam univerſi Orbis, ſicut ad manus pervenerunt, judicia, quibus & me voto exſolvam, & viro magno invidentiū latratus inhibebo. Chartas tantum protuli magnorum auctoritate ſignatas. Si voces vivas velimus, unius *Gaſp. Scioppii* Comitis encomium ſuffecerit, qui *VVormii* ſcriptum variæ eruditionis plenum mihi candidus cenſor laudabat. A quo ſæculi Oraculo quum neque *Franciſcus Bernardinus Ferrarius*, neque

Gabriel Naudæus ſelectiſſimum literatorum par diverſum conceperint, univerſi orbis applauſum *VVormius* meruiſſe videbitur. Vale, & cum eruditis judica.

Cl. Doctiſſimoque Viro

THOMÆ BARTHOLINO

CASP. F.

FORTVNIVS LICETVS. B. A.

AD explicationem poſtea vetuſtiorum Emblematum Aurei Cornu Danici quod attinet, equidem in cap. XL. mei voluminis de Priſcorum Anulis hujuſmodi rem ago paulò diligentiori diſſertatione, cujus ſumma eſt: Cornu fabrefactum fuiſſe juſſu Regis antiquiſſimi apud Cimbros, non in alium uſum, quam ad tentandam Præſidum vigilantiam in regendis provinciis, & populorum integritatem in abſtinentia à furtis; ideoque projectum expoſitumve fuiſſe in bivio Ripenſi. Simulacra vero in eo formata cenſeo nihil aliud indicaſſe, quam Optimi Regis Danici mores,

res, & attributa tum belli, tum pacis tempore Regnum ſibi ſubjectum bene gubernantis, & Rempublicam prudenter ac juſtè adminiſtrantis. Quam opinionem ex apta ſingulorum emblematum explicatione confirmo, diſtinctè quibuſque particulis eorum examinatis, inclyti *VVormii* diligentiam ſuſpiciens, & ab ejus placitis non admodum diſcedens, etſi non ſemper iis adhærens. Hæc ea ſunt, Vir eruditiſſime, quæ feſtinanti calamo potui nunc occupatiſſimus elegantiſſimæ Epiſtolæ tuæ reſpondere: in qua ſicut ego non ſine rubore legi laudes ingentes, quibus me ſupra meritum ornare voluiſti; ſic enixè rogo tuam humanitatem, ut iſta mea levidenſia reſponſa boni conſulat, etſi minus reſpondentia tuæ forſan expectationi, laudibuſque ſummis mihi tam latè tributis. At verò qualiſcunque ſim, velim pro certo habeas, me ſemper ad tui vota victurum. Vale, Muſarum delicium, & me tui ſtudioſiſſimum amare ne ceſſes.

Dat. Bononiæ IV. *Non. Martii* MDCXLII.

Al M. Illuſt. Sig. e Pad. Oſſ. il Sig. Errico Fuiren.

A*SSAI mi teneuo io fauorito, ch'ella ſi compiaceſſe havere dell' affetto da me dedicatoli, quando eſſa fù quì, amorevole memoria. Mà hora favoritiſſimo biſogna che mi confeſſi, & in un iſteſſo tempo obligatiſſimo, havendo* di queſto *primo riſcontro con la ricevuta, sì dell' amorevoliſsima ſua lettera, che del pretioſo libro dell' erudito Sig.* Wormio, *ſopra il corno d'oro della Maeſtà del ſuo Rè, e miſteri in quello deſcritti. Reſto tanto obligato di così cara dimoſtratione, che non mi ſi porgera mai occaſione dell'haverla à ſervire, che non ſia per eſſere da me più che volontieri preſa. onde la prego e per ſe e per amici ſuoi à volermene favorire, e come con ſommo deſiderio attendero di ſentire che venga à luce del medeſimo Sig.* Wormio *il trattato delle antichita, che ſi vedonò nel Dominio di Sua Maeſtà, così per opera di lei ſpererò di poterne participare. Reſta intanto, ſe de*

qui

quì alcuna coſa le poteſſe inviare, che li fuſſe agradevole, che me lo aviſi, che ſarà ſervita come l'affetto & obligationi, che li profeſſo, richiedono. Con che le bacio le mani augorandoli ogni maggiore proſperità. Di Roma à 12. *Aprile* 1642.

Di V. S. M. Ill. Deu. & oblig.

CASSIANO DAL POZZO.

Clariſſ. Viro

IOANNI RHODIO.

QVantopere D. *Wormius* meum circa Literaturam tum Runicam, tam Hieroglyphicam cornu aureo inſcriptam deſideret judicium ex literis D.V. ad Reverendiſſimum D. *Philippum Thomaſinum* datis, abundè intellexi. Et quamvis jamdudum id D. *Naudæo* inſinuarim, ut tamen viro literatiſſimo quovis modo ſatisfiat, id repetendum duxi. Legi igitur totum opuſculum *Wormii*, quod Literaturam Runicam inſcribit, à *Naudæo* communi-

catum, placuitque argumentum, tum vel maximè, quod linguæ hucuſque incognitæ, & temporum vetuſtate pænè deperditæ inſtaurationem aggreſſus ſit. Opus hoc ipſo tantò deſideratius quanto & novitate curioſius, & rarius antiquitate eſt. Nec audiendi ſunt quidam μισόγλωττοι qui dictam Literaturam humanis uſibus veluti inutilem canino dente rodere conantur. Laudandus eſt *Wormius* hoc ipſo quod rem novam & hucuſque ignotam mundo produxerit; de utilitate ejus penes lectores eruditos eſto judicium. Ego certè ex hujus inſtauratione linguæ multa circa veteres Gothorum, & Septentrionalium populorum hiſtorias hucuſque ignotas erui poſſe confido, quo majus forſan, (quam ignari quidam & abſtruſarum linguarum precium neſcientes, ſibi perſuaſerint) lumen Reip. literariæ conferre poſſunt. Quare tam laudabile inſtitutum *Wormii* non approbo tantum. Sed & eidem author ſum, ut ſerio propoſitum ſuum perſequatur, nec ullis

ſeſe

ſeſe zoilorum cavillis à digniſſimi operis exſecutione averti ſinat.

Literaturæ quoque hieroglyphicæ cornu inſculptæ enodationem examinavi; nec diſplicuit explicatio, tam varia eruditione tamque ampla polita. Laudo tam inſignem conatum. Approbo immenſam eruditionum congeriem, quæ ſi judiciosè cornu applicetur, næ hoc ipſo immortalitatem conſequutus videbitur. Atque hæc ſunt, quæ de Literatura *Wormii* juſſu D. V. dicenda putavi. Nihil igitur reſtat, niſi ut me D. V. gratiæ unicè commendem. Tuſculi 16. Iunii 1642.

D. V. Seruus obſequentiſſ.

ATHANASIUS KIRCHER *Soc. Ieſ.*

P. Angelico Aproſio Vintimiglia Cap. XI *della Sferza Poetica ſtampata à Venetia* 1643.

Al Sig. OLAO WORMIO.

IL Corno d'oro, che caſualmente trovato da Chriſtina figliuola di Suenone della

della Villa di Oſterby, ſi ritrova nelle mani del Sereniſſimo Prencipe Chriſtiano Quinto, al mio credere una delle Trombe della garrula ſorella dell'antico Ceo, laſſatoſi cadere a bella poſta di mano, accioche da petto piu forte animato, gravido di aure con maggior rimbombo fuſſe ſentito: non poteua riceuer miglior ſuono, che quello degli ſpiriti, e dell' eruditione di V. S. il quale penetrando dalla Dania nell' Italia hà potuto eccitare ammiratione ne' primi litterati di queſta ameniſſima parte del Mondo; & invitare li Signori Cavalier Caſſiano dal Pozzo, Fortunio Liceti, Franceſco Bernardino Ferrari, *& altri (à cui nome ſcritto à caratteri di diamante ſtà regiſtrato nel Tempio dell'immortalità) con virtuoſa gata à cantar le ſue lodi. Il portar quello, che dicono queſti litteratiſſimi ſoggetti, mi darebbe occaſione d'allungar troppo il libro, e di partirmi da quella breuità, che mi ſon determinato di oſſervar in queſt'opera: oltreche ſtimo dal Signore* Tomaſo Bartholini *figliuolo di* Gaſpare, *mi ſarà tolta queſta*

fadica.

fadiea. Baſti per hora il Elogio eſtemporaneo del virtuoſiſſimo Signor Pighetti nella cui penna ſtanno ripoſti in Erario tutti li Teſori dell' Eternità.

Io ho grandiſſimo obligo al gentiliſſimo Signor Tomaſo Bartholini, *che mi fece parte di quella diſſertatione veramente d'oro, onde apena guſtandola mi ſentì recrear in tal guiſa, che non poſſi non laſſarmi intendere dall'iſteſſo. Queſto Corno benche pregiatiſſimo per la materia, eſſendo compoſto del piu fino metallo, che dalle Indiche Maremme à noi paſsi, ſenza dubbio è più pregiatiſsimo per la diſſertatione del Signor* Wormio, *eſſendo per quella ſogetto alle ingiurie del Tempo, e per queſta ſicuriſsimo dell' Eternità, potendoſi dire, che per queſta.*

---- nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit furtum, nec edax abolere vetuſtas.

Iacobus Pighettus I. C. Venetus:

SPECTATOR

Aureum quod cernis Cornu
Miris ditatum hieroglyphicis,
Martis olim
Buccina fui,
Canenſque claſſicum
Mortales
Ad arma, ad clades inflammabam.
Nunc dicatus Bromio cyathus
Regias ad menſas exhilarandas
Omine fauſto
Tranſlatus ſum.
Intus mero repletus
In Mortalium pectora
Pacem, hilaritatemque
Demitto,
Foris vetuſtis exornatam imaginibus
Aurea doctiſſimi
OLAI WORMII
Diſſertatione
Animatis,
Penitioris Eruditionis ſitim

Etiam

Etiam extinguo.
Vna (mihi credas)
Felicior manet
Sors;
Famæ tandem
Buccina ſiam,
Vt
CHRISTIANI V.
Daniæ & Norvegiæ
Principis inclyti
Ferrea hac ætate ſuis in
Regionibus
Aurei ſæculi
Reſtitutoris,
Domini mei Auguſti,
Glorioſa poſſim
Canere
Facinora.
Abi lætus.

Cla-

Clariſſimo

OLAO WORMIO,

Regio in ampliſſima Hafniæ Academia rei Medicæ diſertiſſimo Profeſſori, Marcus Aurelius Severinus Thurius Crathigena Tharſienſis S.

CVm ſingularis & unica dos illuſtris ingenuum quempiam & ſtudioſum virum ſæpenumero exornare, conſpicuumque facere viſa ſit inter obſervatores homines mortales: tua te, *Olae* abſolutiſſime, & numero multa, & facultate præſtantia ornamenta extollunt, ſuſpiciendumque cunctis terrarum gentibus reddunt Ingenium, Iudicium, Induſtria, Stylus, Scripta. Quorum prima vis mentis ardua quæcunque atque aliis omnibus negata conſequitur, Aquilæ videlicet ſimilis, quæ volucribus omnibus ſupervolat, adeoque ſublimiter conſcendit, ut etiam in ſinum ſe recipere credita ſit Iovis. Cujus acuminis amore, ſtudioque permotus Sereniſſimus Rex veſter ampliſſimis ac Lectiſſimis quotis quibuſque honoribus te decorare; in magnis

magnis habere, ac precioſiſſimis Gazæ ſuæ theſauris anteponere conſuevit: quo regnatore Sapientiſſimo Ptolemæum Philadelphum aut ſuperante aut proximè ſaltem æquante Dania (quod nemo non videt) feliciore jam ſeculorum converſione par Alexandriæ, vel Athenarum Lyceo, viris abundat omni doctrinarum genere probatiſſimis. quorum cum ordo multiplex ab ea parente, tanquam ex equo Trojano prodeat in dies, nihilominus tamen

micat inter omneis
Wormium ſydus velut inter ignes
luna minores.

Nimirum Βόρμιος βίᾳ καὶ ὁρμῇ τοῦ Βουρμίας παρεσκεύασται mihi. Sed conſilium propoſitumque ſtudiorum ſublimium tuorum quis cenſor non fateatur incomparabile? qui naturam univerſam comprehendere, arcana hujus quantumvis abſtruſa pernoſcere, atque in numerato ſingula habere generoſa quadam animi præſtantia concepiſti, firma ſemper conſtantia ſuſtinuiſti. Vnde illud inſtructiſſimum

mum Muſæum tuum, cujus etiamnum ad nos Italos extremos de longinqua nobis, ſed proxime ſpectante vos Arcto, fama frequens eſt pervagata. Iudicium pręterea tuum ſubactum, atque exactum, quo cuncta ritè recteque dirimis, componis, digeris, decernis, quis non agnoſcat rerum peritus? Quis non faciat maximi vir eruditus? Stylum verò, quis non commendet, à ſemetipſo perbene commendatum? qui gravis æquè ac elegans eſt, copioſus ut firmus, amœnus, ut ſalibus plenus, tam autem fœcundus, ac ferax, ut variis commentariis tuis Principum virorum Bibliothecas complerit; quorum, ut noviſſimum, ita graviſſimum tacere non poſſum aureum τὸ ἐξήγημα aurei cornu ex Regiis theſauris non poſtremi, τοῦ δὲ κέρατος τῆς ἀμαλθείας εὐπορωτέρου, cujus quot ſunt emblemata, quot ſunt Cimmeriæ cryptæ, tot identidem tuæ ſunt coronæ, tot lucidiſſimæ ſtellæ, quibus caput tuum ornaſti, memoriam tui cœlo collocaſti. Quam rem equidem dixi propterea, quod ſi ſtaret divus divinè factis

factis honos, ſique Heroica tempora fo-
rent, juſtiſſime eſſet hoc cornu celſa in-
ter ſydera collocatum. Ejus precii tua
ſunt, *Wormi* beate, Commenta, ejus ſunt
ordinis monumenta. quo equidem omni
tuo ſplendore diu captus non me conti-
nui demum, quin tantam tuam dignita-
tem interpellare atque orare fuerim au-
ſus, quemadmodum in præſens oro, qua-
tenus me tuam in clientelam admittere
non dedigneris, ut minimè dedignatu-
rum facta quaſi ſponſione perſuaſit mihi
Cl. *Thomas Bartholinus* hoſpes & amicus
meus officioſiſſimus. Cujus equidem in
natura veſtiganda ſolertiam, ſtudium, in-
duſtriam quotidiano ſatis experimento
compertam, non ſatis tamen comme-
morare, vel animum intendam vel con-
fidam. Sed & promptam humanitatem
atque in eruditos viros proclivitatem
tuam confirmarunt *Bartholini* germani
fratres magno *Gaſpare* generoſo digni
filii; comprobarunt & *Fuireni* tres fra-
tres viri ſinguli ſtudioſiſſimi, quorum
virorum commune judicium & *Petrus*
Ionas Chariſius δὶχαριέστατος ἀνὴρ inclyti
illius

illius *Petri Severini* Nepos ex Filia ſequutus eſt. quos tamen omnes præivit litteraturæ tum ſolidioris,tum politioris Antiſtes *Ioannes Rhodius* Civis honorificentiſſimus veſter, per quorum pleroſque nobiſcum jam coalitos, ac tantum non Italicos viros, interpretes, aut proſcenetas benignos, tuas ad me quæſo litteras dederis; dederiſque dono nobile quodpiam tuum monumentum, ſed inter omnia maximè ſpectatiſſimæ tuæ ſpeciei ſimulacrum felicibus chartis expreſſum,quod in dies revereri, venerari, exoſculari pro dignitate queam. Interim mitto meum hypomnima de fungifero, & fungi mappa ludo naturæ utroque non contemnendo, mox autem ingenti ſedulitati circa naturam tuæ paro mittenda complura,quæ de toto hoc genere apud me collegerit D. *Bartholinus* iſtarum rerum Venator ſedulus, qui reculas haſce commemoratas delaturus eſt. Vale jam feliciter,& *Severino* tibi deditiſſimo favere deinceps aſſueſce. Neapoli Campaniæ Kal. Iul. M. D. C. XLIV.

F I N I S.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

AMPLISSIMO VIRO
DN. PETRO
LASSONIO
I. V. LICENTIATO
CONSILIARIO REGIO
ET
IN SVPREMO TRIBVNALI
ASSESSORI MERITISSIMO
CATONI SECVLI
MAGNIS MERITIS
MAIORI VIRTVTE
PVBLICIS NEGOTIIS PARI
PRIVATO NOMINE
OMNIBVS BENIGNO
IDEOQVE
OMNIBVS AMORI
BONIS EXEMPLO
VIRTVTI INCITAMENTO
MVSIS INCOLVMITATI
QVÆ PARENTEM ADORANT
THEMIDIS VINDICI
QVÆ MAIOREM NVLLVM
AGNOSCIT
LITERARVM PATRONO

QVIPPE QVÆ AD STVPOREM
MASCVLO PECTORE CONDITÆ
VENERANDÆ ANTIQVITATI S
CVIVS EGO INTERPRES
PROTECTORI
ET QVOD MAIVS AGNOSCO
IN ME
SINGVLARI AFFECTV
PROPENSO
FAVTORI MAGNO
DIS RIDENTIBVS NATO
IN SIGNVM
ANIMI DEVOTI ET GRATI
SPECIMEN HOC ANTIQVI-
TATVM
VETERIS PVERPERII
NEVTIQVAM
NATALIBVS EIVS INFERIVS
QVI
AD PVBLICVM BONVM NATVS
CVM FELICI PROSPERITATIS
VOTO
VTQVE EIVS
IVNONI FELIX SIT
L. M Q. D.
CASP. BARTHOLINVS TH. F.

CAS

CASPARVS BARTHOLINVS

TH. F.

Antiquitatum Fautori S.

MEmoriam rerum quæ obſcuravit peneque delevit, illuſtravit pariter poſteriſque tranſmiſit ævi vetuſtas. Providentia Numinis id factum, ne Virtuti exempla, diſciplinæ præcepta deeſſent. Inde nobili contentione Viris ſago togaque illuſtribus enatum rei literariæ ac librariæ ſtudium, quorum animus ad magna natus nullis privatæ ſortis repagulis coërceri potuit, quin ſemper ad excelſæ indolis apicem contenderet. Et his ſeculis tantis conatibus præivere plures, ut jam reclinatas nutanteſque Muſarum columnas erexerint, immenſumque illud Politi Orbis cælum ſuis veluti humeris ſuſtinuerint.

nuerint. Inter alios Parens *meus Venerandus maſculè in hanc arenam deſcendit, ſed Fortunâ partim favente, partim novercâ. Aggreſſus enim rem hactenus ab aliis intactam,* Antiquitates Veterum Puerperii *adornaverat, ſed ſpem tanti Operis intercepit Vulcanus, qui Eugeriam inimicam ſuſcitavit, & Vitumnum compulit ut vitam huic fœtui denegaret, contra aliorum leges apud quos gravidis dilata ſupplicia donec peperiſſent. Quod enim temporis injuriæ fuerat anticipatione invida edaci flammæ commiſit ſortis iniquitas, totque annorum labores in cineres vertit, ut luctuoſum hoc Puerperium Thracum diceres. Jacturam illam ipſe Parens perſequitur* Diſſertatione ad Filios de Incendio Bibliothecæ, *ubi inter alios hujus libri interitum ita conqueritur:*

An-

Antiquitates Puerperii Va-,, riarum gentium, imprimis Ro-,, manorum. ,,

Opus varia eruditione, niſi me,, fefellit opinio, refertum, cujus,, prima lineamenta duxi annis ab-,, hinc triginta & amplius, idque,, ſuaſu Cl. Walæi, *qui id argumen-,, tum deſiderari monuit.* Meurſius,, *quidem Græcæ literaturæ interpres,, celebris de Græcorum Puerperio,, folia tria olim publici juris fecit,,, ſed nimia brevitate lectorem cu-,, rioſum ſatiare non poteſt. Ad plu-,, ra digreſſus ego, quicquid Auto-,, rum veterum lectio aſſidua, quic-,, quid Philologorum aliorum obſer-,, vationes, quicquid variarum gen-,, tium inſtituta, mores, ritus, an-,, tiquitates ſuppeditarunt, quicquid,, ad hoc argumentum illuſtrandum,, Ebræi Doctores, Græci ſapientes,,,*

„ *Romani diligentes conferre potue-*
„ *runt, cum delectu ſelegi & ſuo or-*
„ *dini reddidi, grata & diffuſa va-*
„ *rietate naſcendi tempora percur-*
„ *rens, quid nempe ante nativita-*
„ *tem, quid in puerperio, quid poſtea*
„ *actum fuerit. Ornarunt Librum ju-*
„ *ſtæ magnitudinis variæ veterum*
„ *Inſcriptiones, & figuræ paſſim Ro-*
„ *mæ, Neapoli, Gaëtæ, Florentiæ,*
„ *in Sicilia magno ſtudio à me colle-*
„ *ctæ ex ruderibus & Doctorum Vi-*
„ *rorum monumentis.* Synopſin *ſeu*
„ *ſumma Capita typis publicis olim*
„ *commiſi, cum reducem me Patria*
„ *Academia primum vidiſſet. Nec*
„ *deſtiti exinde ad ſuſceptum Opus*
„ *augendum conferre quicquid vel*
„ *propria lectio ſuggeſſit, vel eruditi*
„ *alii ad rem pertinere judicarunt,*
„ *ut ſi inducias exigui temporis fata*
„ *conceſſiſſent, fidem publico exſol-*

vere

vere quamprimum potuiſſem. Iam ,, in ipſo puerperio fœtus , in partu ,, laborans , extinctus , Lucinam ini- ,, micam nunquam ſollicitabit , nec ,, Proſam nec Poſtvertam. Abiit enim ,, illuc , unde negant redire quen- ,, quam. ,,

Condoluit Eruditus Orbis , & de Puerperio minus feliciter tranſacto conqueſti ſumus omnes. Ex *luminum accenſorum fato in Puerperio nomen auſpicatum eligêre veterum nonnulli , ſed hic lumen flammæ infauſto omine accenſum , quia ipſe Neptunus , Genethlius Deus , humore ſuo Nativitatem promovere non potuit , nec ulli cuſtodes Vulcanum , ceu Sylvanum Puerperæ apud Veteres inimicum , ab ingreſſu arcere. Non jam de Primogenitura litigabit partus , quia non ſuſceptus eſt , nec in terra ſtatutus , ſed flamma. Ego quamvis*

noverim eò expoſitum eſſe, ut nec ex Via Appia, nec ſolutis alimentis repeti poſſit, nunquam tamen animum ab iſtius Reipublicæ Antiquariæ commodi cogitatione avertere potui. Cum enim Parens *chariſſimus omnem hujus operis ſpem non ſine cauſſa abjecerit, ut ex annexa ejus ad me* Epiſtola *patet, ego hoc ad me pertinere credidi, cui viget ætas, animus valet; utinam fato meliore. Et jam inter aſſiduas meliorum Autorum, Medicorum veterum, Philologorum, Antiquariorum lectiones, non pauca congeſſi, quæ in ſuſcepto itinere Amicorum Doctiorum judiciis comprobare, ulteriori Veterum lectione confirmare, perluſtratione Antiquitatum ſedula illuſtrare, & paulatim ad perfectionem majorem deducere omnibus numeris abſolu-*

tum

tum Opus conabor. Interim ſi quis Quid agam fortaſſe requirat, ut ſcirent Eruditi, quid à me ſperari velim, placuit ad Synopſin Parentis, *olim editam, pauca Commentarioli loco addere, quæ etiam citiùs in chartam conjeci quàm coquuntur aſparagi. Nec enim ſingula operoſiùs perſequi animus fuit, quia minori temporis diſpendio nodum ſolveret Gordium Alexander. Pauca hic habes, mi Lector, quæ ex Antiquario Operis mei penu, veluti ex fluctibus Icariis guttulas quaſdam, depromſi atque delibavi, Majora exhibiturus ubi itineris meta permiſerit, & quamprimum ex Italia, Antiquitatis promo condo, adduxero quæ ibi plurima ſunt, ſuſcepto Operi neceſſaria.*

Interea, Lector, vale, & no-

ſtro Puerperio Lucinam propitiorem precare.

Lugduni Batavorum Calend. Aprilis. CIↃIↃC LXXV.

Thomæ Bartholini
de
Pverperio Veteri
Ad Filium
Casp. Bartholinvm
Epistola.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE DE LYON 1898

TH. BARTHOLINUS

Filio

CASP. BARTHOLINO

S.

INgenti gaudio perfundor, mi fili, quod Te videam paſſibus æquis mecum contendere, & ad famam præclaro auſu graſſari. Nihil mihi accidere gratius potuit, quam filium ſuſcepiſſe eodem ſpiritu animatum iiſdemque ſtudiis immerſum, quibus vel juventutem meam exercui, vel ſenectutem ornavi. Inprimis volupe mihi eſt, quod Philologiam felici copula Medicinæ jungas, ex quarum conjugio Puerperium auſpicatum ſuccedit, quo florentibus annis genio benigno doctos

fœtus

fœtus in lucem profers. Indignari tamen, inter tanta gaudia & ſurgentia optimi filii vota apud me ſoleo, quod plus Tibi fata indulſerint, quam mihi. Eripuit mihi Vulcanus argumentum benè de publico merendi, ut Tibi occaſionem præberet caligine profundæ vetuſtatis obductam materiam propalandi. Ex meo infortunio Tibi gloria relicta videtur. Quemadmodum Saturnus in cœlo Paganorum cedere coactus eſt Filio Iovi, ita quam opera non tralaticia laudem meritus eram, ſi ſupereſſent ejus lineamenta, Tu intercipis. Non ignoras quot annos inſumpſerim, quot tædia devoraverim in Opere diu meditato Doctiſque deſiderato *De Veterum Puerperio*, & quam prope abfuerim à complemento. Sed

&

& ipſe teſtis es oculatus, quam levi flamma momento conſumi potuerit, quicquid triginta annorum induſtria procuderat. Conquererer prolixius de iniquo Librorum fato, niſi Liberorum meorum, quorum ſurgenti fortunæ invidere non fas eſt, ſolatio erigerer, quia jacturam laborum meorum diligentia ſua reſarciunt, & ſtrenuè paterna veſtigia premunt communibus ſtudiis calentia, ut non malè actum videatur de rebus humanis tali poſteritate diſcedere. Ego quidem omnem exinde ſpem novi Puerperii depoſui, cui mors vicinior quam nativitas. Imò conſumptis per nequiſſimum Vulcanum chartis omnibus, quibus univerſam hanc de *Puerperio Veterum* materiam conſignaveram, tot veterum Au-

torum lectionibus, tot eruditorum colloquiis, tot recentioris memoriæ ſcriptoribus, tot peregrinationum moleſtiis collectam, ſiquidem, quod doleo, bis ſcribere non conſueveram, puerperium meum æterno ſilentio obliterare exiſtimavi, quod oppreſſum fuerat antequam Lucina obſtetricante lucem poſſet aſpicere. Non ſum ex numero gladiatorum, qui ſaucii pugnas ejurant, at poſtea immemores antiquorum vulnerum, arma capiunt; ſed repudio Deas, quas, quia iniquo iratoque vultu me reſpexerunt, nollem coluiſſe. Tu tamen, mi Fili, me inſcio, &, ut noſti, ſæpe diſſuadente, argumentum apud me deperditum reſumere propriaque tua cura perficere tentaſti, ex quo vel ad publicum

uti-

utilitas vel ad Te Autorem gloria redundat, ſed ad me acerba rerum amiſſarum recordatio. Non equidem invideo, miror magis quod pari mecum genio & amore publico incaleſcas ſuppleaſque ea quæ nec otium nec ætas ſinit me recoquere. Senſim enim non ſine ſenſu ætas ſeneſcit & diuturnitate laborum frangitur, ut quia amœniora perſequi ſtudia nequeam, tamen me focus oblectet ſæpe cogitantem quæ jam agere non poſſim. Præterea majorum rerum neceſſariæ rationes prohibent remetiri greſſus, ſerioribus aliis deſtinantes tempora mea quæ adhuc ſuperſunt. Certè, quanquam par eſſem novo labori repetendo, obreperet tamen faſtidium ex juſta indignatione. Negare mihi fata voluerunt iſtam feli-

lici-

licitatem quam mente conceperam ſi ſuſceptorum operum perfectioni faviſſent. Cum ne gry quidem nec literulam mihi reliquerit helluo Vulcanus ex iis quæ de hoc argumento tot lucubrationibus conceperam, in ſinu gaudere debeo, quod Tu, mi Fili, animum ad ea reſumenda adjeceris. Laus integra & illibata Te manet, quod ex propriis obſervationibus, dum Autorum lectione & amœnioribus ſtudiis ſubceſivas horas diſpungis, Notis tuis meam *Synopſin*, olim Hafniæ publicis typis expreſſam, illuſtrare & Opus Magnum, quod orbi promittis erudito, concinnare proprio Marte ſuſceperis. Quantum ex ſchedis tuis judico, diligentiam meam viciſti & longè ſuperaſti, ut ſi ex hac ætate re-

repueraſcerem & in cunis tecum vagirem, doctius lallare non poſſem. Minorem Te fama argumenti non oſtendis. Nec dubito quin debita gloria Te acuat, & ex præclaro Opere famam majorum aſſequaris. Nam amplum campum Tibi aperuiſti per quem decurras. Ex univerſa antiquitate ſubſidia quæruntur. Quanquam propria Medicorum meſſis ſit de Puerperio ex Medicis antiquioribus diſſerere; tamen ſollicitanda quoque ſunt omnium Antiquorum ſcripta, cujuſcunque denique ſint generis. Theologorum veterum ſcrinia inſpicienda de Circumciſione, de ritibus Baptiſmi &c. Conſulendi Iuriſconſulti de Expoſitione Infantum, Antiquarii omnes, Hiſtorici, Critici, Poëtæ excutiendi, ſed cum judicio,
&

& inter peregrinandum Inſcriptiones, Statuæ, marmora, nummi ſedulò perquirendi, contrahendæ Literatorum amicitiæ, plutei Bibliothecarum pervolutandi, conquirenda cætera quibus ſuſceptum argumentum illuſtretur. Neutiquam uno flatu eructatur duraturum ſeculis opus. Nec una nocte meditatus à Te Liber, velut fungus, naſcitur. Magno ſemper conſtitit naſci Deum. Rerum tractandarum copia vel Fabium delaſſaret. Præcedunt multa Puerperium, quod ex antiquorum monumentis deſcribere occepiſti, quæ expendenda, comitantur alia, quæ explicanda, ſequuntur plura, quæ exponenda, non tam diſerto calamo ſibique relicto, quam multiſcio & vetuſtati innixo. Ad omnia enim ſe
dif-

diffundit materiæ divitis ſeries, quæ ut publico palato ſapiat, ex neceſſariis multis lectione cottidiana congeſtis, præcipua ſeligenda erunt, eaque apto ordini diſponi debent. In theatro applauſum meretur qui idonea, non qui multa, profert. In Synopſi mea brevibus lineis comprehenſa prævivi. Cætera tuæ curæ relicta ſunt, ut Craſſum imiteris ab adoleſcente exorſum navem ædificare concupiviſſe, quod in littore ambulans ſcalmum reperiſſet. Sic ex parvis initiis ad faſtigium operis tanti, quod meditaris, Te proferes. In his orbi monſtrabis quanto non ſolum ingenio ac ſpiritu, ſed etiam quanta eruditione ab antiquis mutueris per quæ ipſos ex ſitu oblivionis protrahas. Gratulor publico de inuſita-
tis

tis conatibus & jacturâ Operis mei per Te ſine recularum mearum, quæ periere omnes, ſubſidio reſtitutâ. Iudicabo me redivivum, ſi quando elaboratum opus licuerit intueri;

Conſequar ex illo caſus oblivia noſtri:
Hanc meſſem ſatis eſt ſi tua reddet humus.

Gratias vero Deo Soſpitatori ago, quod ad liberos, qui nihil mali meruerunt, pœna mea non pervenerit, ſed Tibi penna relicta ſit, quæ mihi aduſta, quod cunas ita verſes ut ſenilem animum oſtendas, quod denique crepundia puerilia tractes, ſed matura ſtudia Patriæ dulciſſimæ ex condicto inferas. Perge injuriam fato mihi illatam, maſculè vir-

virtute tua ulciſci. Sic beatus, liberis chariſſimis ſuperſtitibus & ſalvis meliorum amicitiis, Libitinam effugiam, eritque ſenectutis ſolatium quod ſeverim bonæ frugis arbores alteri ſeculo profuturas. Vale.

Hafniæ Calend. Ianuar.
CIƆIƆC LXXV.

Magna Patriæ ſpondenti

CASP. BARTHOLINO TH. F.

Cognato amantiſſimo

Antiquitates Puerperii Veteris illuſtranti.

TEmpus erat, vitæ quo fœtus carperet auras,
Et maturuerat grande Parentis onus,
Nixibus in mediis ſolitum Lucina favorem,
Quamque miniſtraret, ſæva negabat, opem.
Obſtetrix Vulcanus erat, ſed neſcius artis,
Quam Lucina, Deâ parturiente, colit,
Prenſavit fœtum digitis fuligine tinctis,
Fervidulaque uſſit membra tenella manu.
Ex iſtis ſurgit tibi pagina nata favillis,
Ex cinere, ut Phœnix, jam rediviva viget.
Ergo tuo Lucina Patri conſtanter iniqua,
Fœtus ut ille tuos vagiat ante lares.
Perge Parentis iter, ſcriptis qui perpluit Orbem,
Illius ad laudes invia nulla via eſt.
Ille tibi munivit iter, quo tramite curras.
Tu noſti laudes illius, ille tuas.
Tot tibi fauſta precor, Divûm cumulata favore,
Sæva puerperii quot mala nixus habet.

OLIGER IACOBEVS.

PRÆ-

PRÆFATIO AVTORIS
AD
Synopſin Antiquitatum Puerperii
Edit. Hafniæ M D C XLVI.

Amice Lector,

PAucis te volo, quia anguſtæ paginæ. Synopſin currenti calamo exhibeo operis majoris quod de Veterum Nativitate dudum confectum habeo, in qua titulos tantum leges & ſumma rerum tractandarum capita. Ipſum opus tibi exhibuiſſem, antiquitatibus variis refertum, ſtatuis ornatum & monumentis, Inſcriptionibus & nummis illuſtre, variiſque ad ſuſceptum argumentum pertinentibus auctorum veterum ſententiis; niſi ſpem utriuſque promiſſa amicorum in Italia hactenus ſuſpendiſſent. Româ enim ex area Cœli in Capitolio, & Cajetâ ex baptiſterio templi Cathedralis, exſpecto illuſtria plane Nativitatum Herculis Bacchique marmora duo, quæ olim mihi viſa, quamprimum pro ſolita ſua facilitate tranſmiſerit Illuſtris Eques Caſſianus à Puteo,

Romanâ purpurâ digniſſimus, nec tuum amplius morabor, nec meum votum. Fruſtra enim in Puerperio veterum verſatur, qui his ſpretis aut neglectis ingenio potius ſuo quam oculorum auctoritati indulſerit. Quid autem exſpectare debeas ex Synopſi hac perſpicies, cujus ſingula capita exiguum Cl. Meurſii de puerperio Græcorum opuſculum exæquant, ne ſuperare dicam. Nam nec Cenſorinum, nec Alexandrum ab Alexandro, nec Rojam ad hanc lineam rectè vocaveris, quorum planè diverſum inſtitutum. Interim magnis Eruditi ſeculi Germaniæ, Daniæ, Angliæ, Galliæ, Italiæ, Siciliæ, Belgiique Philologis, amicis ſuſpiciendis hæc ſubmitto, ut, antequam lucem aſpexerit, candidè ſuppleant quæ deſunt, emendentque in quibus forſan invitis videbor lectorem fefelliſſe. Vale ſi ad publicum natus es commodum, ſin minus, diſce naſci ut valere poſſis.

TH. BARTHOLINI

ANTIQVITATVM VETERIS PVERPERII SYNOPSIS:

à

CASPARO BARTHOLINO
Commentario & figuris
illuſtrata.

MVTINI FASCINO inſident feminæ, ut concipiant (*a*). Lupercis quoque ſe offerunt, & ferula

(*a*) Sui juris rerum Natura eſt, nec ad leges humanas componitur: modò properat, modò vota percurrit, modò

 lenta

lenta eſt & demoratur. Sic non ad propoſitum reſpondet, nec ad certum diem fœcunditas, monente *Seneca*, cujus hæc vox: *Exſpècta modo. pariet.* Cœterum moræ impatientes cum partus tempore quaſi ad arbitrium ſuum tranſigebant Pagani, cum Naturæ hoc jus ereptum ad Deos ſuos transferrent, ſed fictitios, quos ad partes vocabant. De Mutino, cujus faſcino, ut partum accelerarent, inſidebant fœminæ, teſtis eſt *Arnobius* Adverſ. Gent. Lib. IV, qui ubi fœdum & omninò contumelioſum ac impium dixit, inducere Deorum neſcio quas fictiones quæ rebus tantum turpibus & infami præficiuntur actioni, addit: *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis horrentique faſcino veſtras inequitare matronas & auſpicabile ducitis & optatis?* Alii *Tutunus* hic legunt. Idemque *Mutinus* dicitur in Priapeis, & apud *Feſtum.* Erat autem Numen πελαπῶδες, quod utriuſque obſcœni appellationem habuiſſe, ideoque *Mutuni Tutuni* nomine à Romanis ma-

tronis

tronis cultum vult Polihyſtor *Salmaſius.* Quicquid ſit, Priapi erat ſignum, unde *Auguſtino* de Civit. Dei Lib. VII. cap. XXIV. nova nupta ſedere dicitur ſuper *Priapi Scapum*, quod *Plinio* membrum virile ſignificat.

ferula ceduntur caprina pelle corioque tecta (*b*). Geſtant præ-

(*b*) De quibus intelligendus eſt *Iuvenalis* Satyr. II.

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Quod Vetus *Scholiaſtes* ita interpretatur: *Steriles mulieres Lupercis ſe offerebant & ferula verberabantur. Palmas* ita explicat, *quia vel catomidiabantur vel quia manibus vapulant cincti per civitatem*, id eſt, Luperci. Erat autem illud verbum *catomidiari* in Lupercalibus proprium, quia Græci κάτωμον idem dicunt quod Latini partem quandam ſub

 collo,

collo, ubi locus erat quo Matronæ verbera excipiebant, vel etiam manibus. Illud placet *Ovidio*, qui Lib. II. Faſtor.

Ille caprum mactat. juſſæ ſua terga maritæ
Pellibus exſectis percutienda dabant.

Vnde etiam colligo quod hæc ſcutica, quæ *Prudentio* Lib. II. in Symmach. *Lupercales ferulæ* dicuntur, pellibus obducta fuerint, ideoque hi Luperci *Crepi* dicuntur *Feſto*, *à crepitu pellicularum quem faciebant verberantes.* Illamque pellem quam caprinam dicit *Ovidius* eleganter *Feſtus Pompeius* alibi *Amiculum Iunonis* appellat.

præterea pixide Lyden (*c*) im-

(*c*) Hunc morem eleganter confirmantem habeo *Iuvenalem* Sat. II. verſ. 137.

— *quod nil animis in corpora juris*
Natu-

Natura indulget. Steriles moriuntur, & illis
Turgida non prodeſt conditâ pyxide Lyde.

immenſo prolis deſiderio quo Reipublicæ augendæ cauſa, connubii retinendi (*d*) & ob

(*d*) Ita enim *Claudianus* in Eutrop.
Fœmina cum ſenuit retinet connubia partu,
Vxoriſque decus Matris reverentia penſat.
Nos Lucina fugit nec pignore nitimur ullo.
Quia cum liberi pignora ac vincula eſſent conjugii, multæ mulieres à maritis domo ejiciebantur quod eſſent ſteriles.

jus trium liberorum (*e*) ardent.

(*e*) Hoc jus à Græcis derivatum. Quippe Spartani multiplicandorum ci-

vium cauſa legem tulerunt, ut qui tres liberos genuiſſet à cuſtodiæ munere immunis eſſet, ſi credimus *Æliano* Var. Hiſt. Lib. VI. cap. 6; Νόμος ἐστὶ τοῖς Σπαρτιάταις, τὸν παρασχόμενον υἱοὺς τρεῖς, ἀτέλειαν ἔχειν φρουρᾶς. i. e. *Lex eſt Spartanis, ut qui tres filios ſuppeditaret reipublicæ, is ab excubiis liber eſſet.* Ad Romanos vero ita tranſiit, ut præturas, quæſturas, omneſque magiſtratus & honores ad numerum liberorum Parentibus deſtribuerint. Frumentum pro liberorum numero accipiebant, teſte in Adriano *Spartiano.* Et in faſcibus ſumendis priores erant qui plures liberos habebant, ſecundum *Gellium* Lib. 11. cap. 15. Ideoque variæ apud Romanos leges natæ, ut Iulia, Papia Poppæa, &c. de quibus nos fuſius in Opere noſtro majori, quæ hic perſequi anguſtæ paginæ prohibent. Inprimis fuêre Iura trium Liberorum, ad quæ traho *Iuvenalem* non invitum, qui Sat. IX. verſ. 87.

Iura Parentis habes, propter me ſcriberis hæres

Lega-

Legatum omne capis nec non & dulce caducum.
Commoda præterea jungentur mille caducis,
Si numerum, ſi treis implevero. — —

Quia, qui ſine ſobole erant, quod in teſtamento à teſtatore legatum erat non capiebant, nec ad caducarum hæreditatum admittebantur ſucceſſionem. Quapropter etiam ſteriles, quod fortunæ iniquitas denegaverat à bonitate Regum vel Imperatorum impetrare conabantur. Ita *Martialis* Lib. 11. Epigr. 91. ad Cæſarem Domitianum:

Quod fortuna negat fieri, permitte videri,
Natorum genitor credar ut eſſe Trium.

dent. Hinc ne infelices ſint, ſupplicationes & vota Veneri (*f*) apud Romanos, Τεϱ-

τοπα-

(*f*) Dicta illa Romanis Venus Genetrix,

netrix, cujus ædes Romæ. Huic autem teſtantur Inſcriptiones, in memoriam genitæ ſobolis ſtatuam poſitam. Sicut haurio ex ſaxo illo apud *Gruterum* pag. MXII. Romæ in foro Cæſaris reperto:

VENERI GENETRICI
D........... IVLI....
IN MEMORIAM. GEN...
IVLIÆ........
STATVAM CVM.....
IVNIVS. VIRBIVS. ATTICVS
FLAM. DIVI. IVLI
D. S. P. D.

Nec contrarium nos edocent nummi apud Romanos cuſi VENERI GENETRICI, ſicut in illo Fauſtinæ apparet ubi puerum faſciis involutum tenere cernitur:

(g) De



τριτοπάτορσι (*g*) Athenienſibus, Pacique, magis pro filiis & gemellis quam filiabus concepta, quæ illud includunt, ut ſimi-

(*g*) De quibus *Author* Etymologici. Φανόδημος δέ φησιν, ὅτι μόνοι Ἀθηναῖοι θύουσι καὶ εὔχονται αὐτοῖς [τοῖς Τριτοπάτορσιν] ὑπὲρ γενέσεως παίδων. Ideoque hi ipſi ſunt qui θεοὶ γενέθλιοι dicuntur ab *Ariſtæneto*, Lib. 1. Ep. 19.

 (*h*) Huc

ſimiles fiant parentibus (*h*). Gravidæ jam hæc felicius ut

(*h*) Huc pertinet illud Didonis apud *Virgilium* Æn. IV.

— ſi quis mihi parvulus aulâ
Luderet Æneas qui te tantum ore referret.

Et hoc eſt, quô puerperas commendat *Horatius* Lib. IV. od. V.

Laudantur ſimili prole puerperæ.

Quippe hanc quaſi notam caſtitatis habebant, cum ſpurios facile generis ſimilitudo prodere poſſet. Et puerperarum pudicitiæ hæc prima fiducia fuit, ut ederent partum, quem maritus agnoſceret: cum timerent ne ſtupra furtivoſque concubitus parvuli vultus, aut creſcentis infantiæ ſimilitudo detegeret, ut loqui amat *Quintilianus* Declam. XVIII.

aſſequantur, braſſicam (*i*), ſicut

(*i*) De hoc Braſſicæ uſu apud gravidas

das Athenienſium, nos plura nuper commentati ſumus in Exercitationibus noſtris Miſcellaneis, quo Lectores remittimus, nihil hic addituri præter inſignem *Athenæi* locum, qui Deipnoſoph. Lib. IX: Ἀθήνησι δὲ καὶ ταῖς τετοκυίαις κράμβη παρεσκευάζετο, ὥς τι ἀντιφάρμακον εἰς τροφήν. i. e. *Apud Athenienſes puerperis braſſica parabatur, velut idoneum medicamentum quoddam & apta nutriendo corpori.* In Amphidromiis autem hunc cibum uſitatum confirmat infra apud eundem *Ephippus* in Gerijone, qui ita, ſi Latina conſuetudine verba ejus legenda exhibueris:

Cum Amphidromia celebrentur quibus
mos eſt
Aſſare fruſta caſei Cherſonitæ,
Oleoque braſſicam in faſciculos collectam incoquere.

ſicut in Amphidromiis, comedunt ad fœtus incrementum,

edules cochleas & malicorium, ſed non ſine damno, potu diptami addito (*k*). Abſtinent à ſale & aqua frigida. Lecticis ſubinde vehuntur, & equabus gravibus inequitant. Peſtilentia varia religione averruncata. Zona in templo Dianæ, ut commodius fieret geſtatio, ſoluta, quam primipara eidem deinde ſuſpendet cum

(*k*) Hoc voluit *Q. Serenus Sammonicus*,

At ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum,
Vt facili vigeat ſervata puerpera partu
Dictamnum bibitur cochleæ manduntur edules.

(*l*) Lati-

cum veſtimentis (*l*). Temporis fallendi gratia faſciolæ ligan-

(*l*) Latinis Zonam ſolvere dicitur quæ viro traditur. Quo reſpexit *Catullus*:

Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Et Virginenſis Dea dicta eſt quæ invocabatur cum Virgini ſponſæ zona ſolveretur, teſte *Feſto*. At apud Græcos Puellam jam gravidam ſolito arctiorem Zonam in templo Dianæ Λυσιζώνου deponere ſolemne erat, & mulieres ipſas partu jam levatas Zonam Dianæ ſacraſſe author eſt in Argonauticis *Apollonius*. Cujus etiam *Scholiaſtes* ita, ſed hic per interpretem: *Solvunt Zonas primum parientes & conſecrant Dianæ. Unde & Lyſizonæ Dianæ templum Athenis.* Sed veſtimenta Dianæ devota clarius cognoſcimus ex *Callimachi Scholiaſte* Hymno in Iovem: Τικτομένων τῶν βρεφῶν ἀνετίθεσαν τὰ ἱμάτια τῇ Ἀρτέμιδι. *Natis infantibus conſecrant veſtimenta Dianæ.*

ligandis pueris parantur, & ipſæ in Lecto cubantes gravidæ celebrant Parilia. Interea pro naſcentibus vota fiunt, primo animi gratia Genitæ Manæ (*m*) ne domi quis bonus naſcatur, hoc eſt, imbellis, cui ideò canis immolatus,

(*m*) De hac *Plutarchus* in Quæſtion. Roman. Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν. ἢ ὅτι δαίμων ἐστὶν ἡ Γενείτα περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς λοχείας τῶν φθαρτῶν. Et paulo poſt, ut Romanos Genetæ, ita & Græcos Hecatæ canem pro naſcentibus immolare dicit.

ſicut Hecatæ & Genetylli (*n*), non

(*n*) Γενετυλλὶς *Ariſtophanis Scholiaſti* dici-

dicitur ἡ τῆς φυσέως ἔφορος Ἀφροδίτη. Et ejus feſtum à mulieribus pro gravidarum partu celebratum, referente *Heſychio.*

non ob pariendi facilitatem, neque ob animalis ſinceritatem, ſed propter vigilantiæ omen, audaciæ & fœcunditatis. Deinde pro corpore, ne perversè partus aut præpoſterè exeant. Poſtverſæ litatur, & Proſæ Deabus à ſitu embryonis ita dictis (*o*), quibus

(*o*) *Gellius* Lib. XVI. cap. 16. refert in naſcendo fortè converti interdum in pedes partum, & ita brachiis diductis plerumque retineri, ut ægrè admodum mulieres enitantur: *Hujus periculi*, inquit,

quit, *deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una* Poſtverta *nominata*, Proſa *altera*; *à recti perverſique partus & poteſtate & nomine.* Quam vero *Proſam Gellius* vocat, alii *Porrimam* & alii *Antevortam* dicunt. De *Poſtverta* elegantem noto apud *Gruterum* Inſcriptionem, pag. 1. ubi ſub capite Mercurii & Mulieris ita legi dicit:

DEO. MERCVRIO. ET. POS
TVERTE. C. ANTIVS. TITI
FILIVS. EX. VOTO.

Et forte eundem antiquum lapidem inveni apud *Paulum Petavium*, qui in veterum Nummorum Gnoriſm. nobis talem exhibet:

Vbi



Vbi omnia exacte conveniunt, præterquam quod incuriâ ſculptorum pro POSTVERTE legamus, ROSMERTE, quod quivis facile ex ipſa *Gruteri* Inſcriptione emendare poterit.

bus & abortus procurantur, totidem dicatis aris & hoſtiis. canibus fortaſſis. Mox inſtanti partu

partu ad Eugeriam & Fluoniam confugitur (*p*). Ad

(*p*) De his videatur *Sext. Pomp. Feſtus* de Verb.ſignif. *Arnobius* Adv.Gent. Lib. III. *Fluvionia* legit, ubi *Meurſius* tamen Critic. Arnob. cap. 6. ex *Feſto* corrigit *Fluonia*.

illam, ut conceptum alvo facile egerant; ad hanc, ut ſanguinis fluor tam in partu quam geſtatione cohibeatur. A quibus Mena dicta (*q*), parum à

Luci-

(*q*) Illa Dea fuit quæ fluoribus menſtruis mulierum præeſſe credebatur ex *Auguſtino* de Civ.Dei lib.IV. cap.II. *Ipſe ſit Dieſpiter qui partum perducat ad diem. Ipſe ſit Dea Mena, quam præfecerunt menſtruis fœminarum.* Credita hæc Dea Luna eſt, quia Græcis μήνη Luna dicitur.

(*r*) De

Lucina differens. Fuit alia Vterina, Alcmena ad alendum, Vitumnus & Sentinus (*r*) ad vitam ſenſumque

(*r*) De tota hac Deorum fictitiorum familia, adiri poteſt, præter *Tertullianum*, *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. VII.

inſtituti. Athenienſibus Genetyllis acceſſit, cui feſto die canis immolatus. Tandem ut confidentius onus ventris gererent quædam gravidis conceſſa privilegia. Dilata ſupplicia donec peperiſſent (*ſ*), lege

(*ſ*) Prima legis hujus origo ab Ægyptiis, à quibus ad Græcos tranſiit, ut apud *Plutarchum* de Tard. Dei Vindicta: *Quid Ægyptiorum legem nonne meritò*

meritò vobis aliqui Græci deſcripſiſſe videntur: Quæ ſtatuit, ut prægnans ſi rei capitalis judicata ſit, dum eſt enixa in cuſtodia habeatur. Sic & deinde Legibus Romanorum prægnantium mulierum pœna, ultimo ſupplicio damnatarum, differebatur quoad pepererint, cujus rei, præter *Quintilianum*, teſtis eſt *Clemens Alexandrinus* Lib. 11. Stromat. Imo apud hos Iuris ſanctio non capitalem modò pœnam ſumi, ſed ne quæſtionem quidem de prægnante haberi patitur, *L.* 3. *D. de pœn.* de quibus vide *Briſſonium* Lib. 11. cap. 20.

lege Athenienſibus, Ægyptiis & Romanis ſancita, apud quos ne quidem quæſtio de gravidis habetur. Apud Perſas aureo donantur. Nondum natis id datum, ut pro ſuperſtite habeantur.

Immi-

Imminente puerperio clavis tradita à maritis, locusque puerperii idem eligebatur, quem olim habuerant Patres, purpura ſtratus antiqua imperii nota, ſed ad plures ob luxum deinde divulgata. Habitu ornantur proprio, quem ex figulina tabula eruimus(*t*). Caput faſciis cinctum, pallio abje-

(*t*) Tabulam illam figulinam, quæ aſſervabatur olim in Muſeo V. C. Martii Mileſii Sarazani exhibet nobis *Iac. Philip. Tomaſinus* de Donariis, ex quo nos eam hic proponimus:

Tabulam hanc Puerperarum votum exhibere & Dianæ Nemorenſi ſacram putat *Tomaſinus*, quippe quæ Nemi inventa eſt, ubi celebre olim Dianæ Templum.

plum. Continet autem hæc obſtetricem, quæ puerum in lucem jam editum gremio fovet & dextra mulierem puerperam ſuſtinet fere nudam, habitu dimiſſo. Ita enim de habitu puerperæ *Plautus* Truculent. Act. II. Sc. 5.

--- voſmet jam videtis
Vt ornata incedo puerperio ---

abjecto & ſoleis (*v*), quæ peracto reſumuntur opere. Aſſident, ſed nec poplite in alterum genu impoſito, nec digi-

(*v*) Expreſſè *Plautus* de Puerpera Trucul. Act. II. Sc. 5.

Face ut accumbam, adjutare ſic decet puerperam.
Soleas mihi date.

Autore *Piſtore* legendum eſt, *Soleas mihi deme.* Volebat enim accumbere ideo ſoleas ſibi demere jubet.

(*u*) Hu-

digitis pectinatim implexis (*u*). Proxima quæque apprehendentes dolore ſe ſub-

(*u*) Hujus ſuperſtitionis originem tradit *Ovidius*, qui Metamorph. Lib. IX. Alcmenam inducit fabulam narrantem, ſe, cum parere non poſſet Lucinam Deam invocaſſe. Et ea quidem venit Iunonis juſſu partum impeditura. Cum igitur in vetulæ figuram converſa ante januam Alcmenæ ita ſederet, ut manus digitis inter ſe junctis genua teneret, forte Galanthis ancilla ſuſpicata eam illo geſtu dominæ, quo minus pareret, eſſe impedimento, falsò ei nunciavit Alcmenam partu ſolutam, quod cum Dea accepiſſet, ſurrexit, ſtatimque Alcmena Herculem peperit. Ita autem *Ovidius*:

— dextroque à poplite lævum
Preſſa genu, digitis inter ſe pectine junctis,
Suſtinuit partus. —

(*x*) Quia

ſublevant, primaque cura eſt, ob partus facilitatem, palmam tetigiſſe (*x*). Hic ſi

(*x*) Quia, ut teſtis eſt *Apollonii Scholiaſtes*, mos erat parturientium, ut ſic dolores ſublevarent enixiùs, proxima quæque apprehendere, ideo Latonam legimus palmæ adniſam peperiſſe Dianam & Apollinem. *Nonnus* Dionyſiac. Lib. XXVII. huc reſpexit:

—— —— *εἰσόκε Λητὼ*

Οὐτιδανοῖς πετάλοισι γέρων μαιώσατο φοίνιξ.

ideſt, --- --- *donec Latonæ*

Vilibus foliis ſenex obſtetrix erat palma.

difficilior, Nixii Dii invocati, ab officio dicti (*y*), nec non ſi ge-

(*y*) Ab enitendo ſive pariendo Nixii Dii ita dicti fuêre. De iis ita *Feſtus*: *Nixi*

Nixi Dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante ſellam Minervæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus. Non tamen ſententiam noſtram mutat, quod perperam hic in aliis codicibus legatur, *Noxii Dii.*

ſi gemellorum ſit ſuſpicio, idque operto capite, & lotis manibus. Alioquin lucis cauſam Lucinam familiaris viget advocandi mos, parturientium Deam (z), quæ Ilithya Græ-

(z) De Lucina parturientium tacere præſtat, quàm anguſtis lineis includere uberrimum dicendi campum, quem Operi majori ſecuturo reſervabo, quod rebus ex ultima Antiquitate infinitis illuſtre publico promitto, ſi inducias non ita longi temporis concedant fata. Interim quia hic illos imitari conſtitui qui ter-

terrarum ſitus depingunt, in brevi quaſi tabella omnium rerum & rituum imaginem daturus ſum. De Lucina, quam ad partum vocabant, *Horatius* Epod. Lib. Od. 5.

Per Liberos te, ſi vocata partubus
Lucina veris affuit,
Per hoc inane purpura decus precor.

Arnobius Lib. III. Adverſ. Gentes: *Parturiunt, pariunt; ut difficiles puerperiorum tricas Iuno mulceat corripiatque Lucina.* Ideoque eleganter *in partu Lucina & Diana ejulatur* apud *Tertullianum* Lib de Anima. Dicta autem eſt à pud Latinos *à juvando & luce Iuno Lucina*; *à quo parientes eam invocant*, ut *Varro* de Lingu. Latin. Lib. IV.

Græcis & ζύγια (*a*), Latinis Iuno

(*a*) Suidas Ilithyias plurimas protulit, Deas parturientibus aſſiſtentes. Et plerique Authorum Græcorum meminerunt. *Euripedes* in Ione:

Σε

Σε τὰν ὠδίνων λοχίαν
Ειλείθυιάν τε ἐμὰν
Αθάναν ἱκέτευω.

id eſt,

Te partuum obſtetricem
Eilithyiam, meamque
Minervam obſecro.

Nonnus Dionyſiac. Lib. I:

Επτάκις εἰλείθυιαν ἑῇ κικλήσκουσα λοχείῃ,
Septies Ilythyan ſuo vocans partui.

Iuno & Opigina. Huic vota (*b*) ipſæ nuncupant puerperæ

(*b*) Vota puerperarum, quæ Lucinæ nuncupabant, eleganter exprimit *Propertius* Lib. II. El. 2:

Idem ego cum Cinaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent uteri pondera lenta moram.
Iunoni votum facite impetrabile, dixi,
Illa parit. — —

Cujus memoria etiam in Inſcriptionibus, ut in illa *Gruteri*, pag. XLI.

DIANÆ
LVCINÆ
INVICTÆ
CN. POMPEIVS
CN. LIB. BAR
BVS. PROCVRAT
TIBICIN. ROM
VOTO. SVSCEPTO
L. M.

peræ, haſtas (*c*) conſecrant publi-

(*c*) Quod in nummis ejus honori dicatis apparet, ubi ſæpiſſimè ſtatua haſtæ ſubnixa videtur. Idque olim voluit *Plutarchus*, qui in Quæſtion. Romanis: Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ νενόμισαι, καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῆς δόρατι στηρίζηται τὰ πλεῖστα, καὶ Κυρῖτις ἡ θεὸς ἐπωνόμασαι. i. e. *Iunoni autem ſacra habetur haſta, & pleraque ejus ſtatuæ haſta nituntur, ipſaque dicitur Dea Quiritis.* Vnde etiam Iuno Quiris paſſim

ſim appellatur, ut in Inſcriptione illa apud *Gruterum*, pag. CCCVIII.

publico vaccas nomine immolaturæ, & ne quid deſit, nummis cuſis monumenta erigunt. Cultus à Græcis deductus, quibus Diana Lucina erat (*d*) & Lucifera, quæ

(*d*) Confirmat hoc ipſe *Cicero*, qui Libr. II. de Natur. Deorum: *Vt apud Græcos*, inquit, *Dianam eamque Luciferam ſic apud noſtros Iunonem Lucinam in pariendo invocant.* Ideoque θεὰ Δίκθυνα λοχεία, *Orpheo* in Hymno. Nec diſſentit ſimilis Inſcriptio apud *Gruterum* pag. MXI.

DIANAI. LOCH. S.P.C. D.S. GINECEIA. P. F. RVFA. POMPONIA.

Et pro hoc Dianæ officio ſtare videtur *Nonnus* Dionyſiac. Lib. XLI.

Ἄρτεμιν Εἰλείθυιαν ἀρηγόνα θηλυτεράων.

Dianam Ilithyiam auxiliatricem fœminarum.

quæ eadem cum Luna, Levana לונה ex Hebræorum origine, cuncta ad partum tanquam noctis præſes & fœmineum ſidus conferens. Nam Nox genitalis Dea juvat liberorum ſtudium. Formula Invocationis ter magna voce fuit repetita, & extenſis brachiis. Huic aliàs in ara ſacrificatur pulte fabacia & larido, nec non gemellis agnis altrinſecus religatis

gatis, nummuſque perdi ſolitus.

Tranſactis laboribus decumbit ægra, dum obſtetrix, ſervi & adjutrices ancillæ partibus ſuis defungantur. Iamque puerpera fit ipſo puerperii momento (*e*) ſine ullo

(*e*) Ad *Juvenalem* notat Vetus *Scholiaſtes* Puerperam dici puellam, quæ primitus parit. Ex eadem origine *Iſidorus* repetit Lib. XI. Orig. cap. 2: *Puerperæ*, inquit, *ſunt quæ annis puerilibus pariunt. Vnde & Horatius: Laudatur primo prole puerpera nato. Et dictæ puerperæ, vel quod primo partu gravantur, vel quod primum pueros pariant.* Sine ullo autem ſexus diſcrimine Puerperium vocari vult *Suetonius* in Caligula cap. VIII.

ullo ſexus diſcrimine, & edere dicitur, quemadmodum Pater ſuſcipere. Licet & latius vagetur dictionis licentia. Infans fit ab infando (*f*), alii ſpurii. Pecus &

(*f*) Ita enim ejus etymologiam deſignat *Varro* Lib. v. de L L: *Fatur is qui primum homo ſignificabilem ore emittit vocem. Ab eo antequam ita faciant pueri, dicuntur infantes.* Et *Nonius Marcellus* de Propriet. Serm. *Infans à non fando dictus eſt.*

Partus varia dicuntur ratione, quorum proprius Natalis dies (*g*) ortuſve, ſive die nati

(*g*) Natalem diem dici ſive die nati ſint ſive noctu, fusè ex *Varrone* explicat *Gellius* Noct. Attic. Lib. III. cap. 2.

(*h*) Id

nati ſint, ſive noctu. Habebant & adoptivi ſuam nativitatem (*h*), qua eligebantur, quia naturam imitatur adoptio. Vrbes (*i*) quoque &

(*h*) Id noto ex *Ælio Spartiano*, qui in Adriano: *Quinto Iduum Auguſti Legatus Syriæ literas adoptionis accepit: quando natalem adoptionis celebrari juſſit.*

(*i*) Quocirca, cum Vrbibus etiam Natalis dies aſſignatus ſit, decretum eſt ut dies quo Romanum cœpiſſet imperium, Palilia vocaretur, quæ feſta iis fuere, unde anni Vrbis Romæ numerabantur. Quod expreſſit *Ovidius* Lib. IV. Faſtorum:

Per flammas ſaliiſſe pecus, ſaliiſſe colonos,
Quod fit natali nunc quoque Roma tuo.

& navigationes, ut & Reges (*k*) quando ad regnum

(*k*) Et quod Reges etiam Imperii natalem inſtituerint quando ad regnum admittebantur, teſtis *Herodotus* eſt, apud quem Lib. IX. Xerxes diem qua rex dictus fuit, tanquam Imperii natalem ſingulis annis inſignem celebravit, quo cœnam etiam proceribus ſuis dabat, quæ Perſicè *Ticta*, Græcè τέλειον dicta.

admittebantur. Quæ Nativitatum feſta à Comneno ſublata, quanquam inde æra dependeat imperii. Naſcuntur præterea ſacris initiati, pueri prætextam ſumentes, & Conſules (*l*). Nec diſſimili

(*l*) De Conſulis natali, qui ubi officio

cio illo fungi incœpit, naſci dicebatur, *Martialis* Lib. VIII. Epigr. 66.

Auguſto pia thura, victimaſque
Pro noſtro date Silio Camœnæ.
Bis ſenos jubet en redire Faſces . . .
Nato Conſule. --- ---

mili uſu Martyrum paſſio vocatur Nativitas (*m*) qua ad

(*m*) Teſtem habeo *Auguſtinum* de Pœn. med. cap. 4: *Attende*, inquit, *animo tot Martyrum millia. Cur enim te Natalitia eorum conviviis turpibus celebrare delectat, & eorum vitam ſequi honeſtis moribus non delectat.* Et hæc eadem mens eſt *Prudentio*, cum Periſteph. Hymn. XI. de Paſſione Hippolyti Martyris;

Iam cum ſe renovat decurſis menſibus annus,
Natalemque diem Paſſio feſta refert. . . .

ad gloriam naſcuntur. Vnde & Baptiſmus. Quin Natalibus redduntur plebeji, ad nobilitatem evecti, aut quovis gaudio elati. Ad ſuperos denique tranſlata voce, Natales feſta appellantur Deorum, & Chriſtianis Natalis Calicis.

Sed veræ nativitatis terminus Nonus eſt menſis ex ſententia Medicorum (*n*). De-

(*n*) De temporis varietate in Puerperiis pluribus videri poteſt *Gellius* Noct. Attic. Lib. III. cap. 16. ubi grata & diffuſa varietate naſcendi tempora diverſa percurrit. Nonus menſis veræ nativitatis terminus omnium conſenſu.

A ſa-

A ſacris ordiar. *Machabæor.* Lib. II. cap.7. Mater filium ſuum minimum ita alloquitur: *Fili mi, miſerere mei, qui te in utero novem menſibus portavi.* Non alia mens *Ovidio* Metam. Lib. x.

--- --- Iamque coactis
Cornibus in plenum novies lunaribus orbem,
Illa Paphon genuit. --- ---

Decimus ab illis laudatur (*o*), qui initium ſumunt deci-

(*o*) Decimum autem menſem illis laudari qui initium ſumunt decimi, affirmare videtur idem *Ovidius* Heroid. Epiſt. XI.

Iam novies erat orta ſoror pulcherrima Phœbi:
Denaque Luciferos Luna premebat equos:
Neſcia quæ faceret ſubitos mihi cauſa dolores,

Et rudis ad partus & nova miles
eram.

decimi. Poſt hunc ſeminati vocantur. Nec ſeptimus infrequentior (*p*). Quocunque tandem menſe, Primogenituræ magna ſemper veneratio, à qua Fortuna Natalis Primigenia (*q*), & è ſolis

(*p*) Pro ſeptimo menſe nativitatis ſtare arbitror eundem *Ovidium* Lib. IV. Triſt. El. 10:

Nec ſtirps prima fui; genito jam fratre
creatus;
Qui tribus ante quater menſibus ortus erat.

(*q*) Hujus Fortunæ Natalis Primigeniæ memoriam ſervant Marmora non

non pauca. *Gruterus* Inſcriptionum pag. LXXVI.

FORTVNÆ
IOVIS PVERI
PRIMIGENIÆ.

Et alia apud eundem pag. MVI.

IOVI. O. M. ET
FORTVNÆ. PRIMIGEN
V. S. A. L.
L. PRIMIGENIVS
CVM
FIL. TORQVATO
D. D.

ſolis femellis nunquam exponuntur primitivæ. Vnde de gemellorum primogenitura litigarunt Iuriſconſulti, maſculis ferè faventes, ut fortioribus, quod in Hiſpaniam veteres Gothi invexerunt primi.

mi. Proprium hoc Iudæis jus, quibus ex officio incumbebat & Deo tam perfectos fœtus primos, quam imperfectos ad ſacrum miniſterium offerre, & oblatos deinde jumentis ſicliſque quinque redimere. Illud deſiit quum ad Levitas ſacrorum jus devolveretur. Hoc in Ægyptiacæ ſervitutis memoriam ſervatum, quanquam aliquod in Chriſti nativitate ſit dubium. Omni autem ſine primogeniti diſcrimine Nato apud Paganos Genius ſociatur ſtatim, qui & vitæ auctor ſit & gignen-

nendi (*r*). Vnde Genius cujuſque colitur, votis, nummis, ſtatuis

(*r*) Variæ ſunt de Genio hoc Paganorum ſuperſtitiones. Quippe, ut *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. VII. ex *Varronis* ſententia ait, Deus erat qui præpoſitus eſſe & vim habere omnium rerum gignendarum credebatur. *Plutarcho* Genius eſt, qui unicuique mortalium ineſt. De eodem ita *Cenſorinus* de Die Natal. cap. III: *Genius Deus eſt cujus in tutela, ut quiſque natus eſt vivit: Hic ſive quod ut genamur curat: ſive quod una genitur nobiſcum: ſive etiam quod nos genitos ſuſcipiat ac tuetur. Certe à genendo Genius appellatur.* Latius adhuc ipſi dominium tribuit *Feſtus*, qui Genium dicit vim obtinere omnium rerum gerendarum. Eleganter *Horatius* Naturæ Deum humanæ deſcribit, qui natale temperat aſtrum, Lib. II. Epiſt. I.

Sit

Sit Genius natale comes qui temperat aſtrum,
Naturæ Deus humanæ.

Hunc Genium votis & Inſcriptionibus colebant, quæ paſſim occurrunt. *Gruterus* pag. cxi. Antiq. Inſcript.

GENIO
PAG. TIGOR
P. GRACCIVS
PATERNVS
T. P. I.
SCRIBONIA
LVCANA
V. F E C.

Et adhuc illuſtris alia apud eundem inſcriptio ex templo Herculis in Capitolio, ubi GENIO pro ſalute Imperatoris ædes reparatur. Ita autem apud *Gruterum* pag. cix:

PRO. SALVTE. D. D. IMP. PII.
FEL. AVG
ET. MATRIS. AVG. N. ET.
KASTROR

ÆDEM.

ÆDEM. GENIO. COELI.
ADIANTI
MANIPVLI. EIVS
SVA. PECVNIA. REFECERVNT.

ſtatuis & Inſcriptionibus. Per eum ſoli fere Viri jurabant, ſicut per Iunonem plerumque feminæ (*ſ*), licet & ille utriuſque ſexus ſit Deus, & per

(*ſ*) Familiarem hanc Iurandi conſuetudinem deprehendo. De viris, qui per Genium jurabant, *Seneca* Epiſtol. XII: *Villicus jurat per Genium meum ſe omnia feciſſe.* Fœminæ verò per Iunonem ſuam ut plurimùm. Nam ita Quartilla apud *Petronium*: *Iunonem meam iratam habeam, ſi* &c. Non tamen inficias ire poſſim quin per hanc etiam Viri juraverint, cum id ſuadeat *Iuvenalis* Satyr. II.

Et

Et per Iunonem Domini jurante miniſtro.

Non minori religione per Genium Principis jurabant. Inde *Apuleius* Lib. IX. Metamorph. *Adjurantes Genium Principis contendebant.* Quod maximum apud veteres juramentum fuiſſe demonſtrat *Tertullianus* Apol. cap. 28: *Citius denique*, inquit, *apud vos per omnes Deos quam per unicum Genium Cæſaris pejeratur.*

per hanc quoque Viri juraverint. Idem Genius obtinuit Principis. Contra Chriſtiani per fortunam, non Cæſarum ſalutem, jurare recuſarunt. Cuſtos hic infantum Dæmon eſt Platonicis (*t*) & Patribus, iſque

(*t*) Hi Genii pro Dæmonibus erant apud

apud alios. Ita *Lactantius* Lib. II. Divin. Inſtit. de Dæmonibus agens: *Geniorum ſibi nomen aſſumunt, ſic enim latino ſermone Dæmones interpretantur.* Optime autem munus Genii, qui animæ præſidens voluntaria nati moderabatur, expreſſit *Ammianus Marcellinus* Lib. XXI: *Putabatur*, inquit, *Genius quidam tutelæ ſalutis appoſitus, eum reliquiſſe mundo citius digreſſurum. Ferunt enim Theologi in lucem editis hominibus cunctis, ſalva firmitate fatali, hujuſmodi quædam velut actus rectura numina ſociari, admodum tamen pauciſſimis viſa, quos multiplices auxere virtutes.* Erat autem duplex, Bonus maluſque, quod ad *Virgilium* ita notat *Servius*: *Cum naſcimur duos Genios ſortimur: unus eſt qui hortatur ad bona, alter qui depravat ad mala.* Quo cenſu etiam interpretandus eſt *Perſius* Sat. IV.

— *Diis iratis, Genioque ſiniſtro.*

iſque quinti gradus, qui ad

vitæ

vitæ terminum voluntaria nati moderatur, animæ præſidens, haud menti. Varia viſebatur forma. Ater ſubinde & pelle amictus. Duplex eſt. Bonus maluſque. Non quod mala faciat, ſed averruncet. Fortuita puerorum, Fortuna, Genitalis Dea regebat, ſicut Neceſſaria fatum, quanquam pro Genio quoque ſit Fortuna, quæ Primigenia, quia paris cum infante ævi cenſetur. Huic in Principis nativitate publicæ in Capitolio poſitæ ſunt effigies. Plerumque Virginalis erat & Muliebris, quem-

quemadmodum Venus & Iuno. Lares eodem cum Genio inter Natales Deos habiti numero (*u*), qui Genius nihil niſi

(*u*) Lares etiam inter Deos Generis recenſet *Ovidius* Faſtor. Lib. II. Et iis commendatam eſſe pueritiam innuit *Claudianus* Lib. III. de Rapt. Proſerpinæ:

Inſidis natam Laribus commiſit alendam.

De his ipſis, qui infantem & alere & toto tempore ſervare dicebantur, *Tibullum* explico Lib. I. El. 2.

Sed patrii ſervate Lares aluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.

Quocirca tot reperio Inſcriptiones paſſim, Laribus pro Domus ſalute & incolumitate dicatas. Inter alia Tabula eſt mar-

màrmorea Eboræ in foro piſcario reperta, apud *Gruterum* pag. CVI:

LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLV
MITATE. DOMVS
Q. SERTORII
COMPITALIB. LVDOS
ET. EPVLVM. VICINEIS
IVN. DONACE. DO
MESTICA. EIVS. ET
Q. SERTOR. HERMES
Q. SERTOR. CEPHALO
Q. SERTOR. ANTHEROS
LIBERTEI.

Quæ tamen tabula *Grutero* ſuſpecta eſt tanquam non illius ævi.

niſi mens hominis nati, ignea & Divina, ſine fœminæ orta congreſſu, mediæque inter Deos & animas naturæ. Neque

que planè corporeus eſt, licet ita viſus ſit. Falſi verò antiqui qui Genium Planetas crediderunt, quanquam ad Nativitatem & hi aliquid conferant (*x*). Nec majorem merentur

(*x*) De Planetis, an ad nativitatem aliquid conferant, varia varii. Ipſe *Ptolomæus* Lib. 3. cap. 2. omnem corporis conſtitutionem, quæ puero accidit, ex hora conceptus pendere neque mutari à natalitiis ſtellis vel aliis quibuſdam pronuntiat. Quod ſi alias Aſtrologorum ſcholas percurrere velis, invenies ſtatim ſingulis uteri gerendi menſibus ſingulos præeſſe planetas: ideo octavo menſe vivere natos haud poſſe, quoniam qui primo, idem & octavo menſi Saturnus dominetur Planeta frigidus & ſiccus, hoc eſt, qualitatibus vitæ contrarius: Menſi autem nono Iupiter Fortuna major,

jor, calidus & humidus; ut ſeptimo menſi Luna frigida & humida. De his pluribus diſſerentem adi *Bongum* de Myſteriis Numerorum, pag. 518. & 519. Per plura me non diffundam, nec hiſce tam anguſtis paginis, antequam Majora publicum videbit, aliud addam præter locum elegantem *Iuvenalis*, qui Fortunam omnem à tempore nativitatis pendere ſtatuit, Sat. VII. verſ. 149.

— — diſtat enim quæ
Sidera te excipiunt modo primos incipientem
Edere vagitus, & adhuc à matre rubentem.
Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem fies de Conſule Rhetor.
Ventidius quid enim? quid Tullius? anne aliud, quam
Sidus, & occulti miranda potentia fati.

(*y*) De

rentur laudem, qui ad elementa referunt, in inanimis alioquin vigentia. Fortuna ex Neceſſitate inducta volubilium, Lares ex triga Deorum naſcenti neceſſaria.

Fuerunt Dii Genitales alii majorum gentium ad Nativitatis Providentiam electi, diverſi à Genialibus, propriè Indigetes, vel Tutelares, quibuſcum de rebus Achivis conſilium iniit Iupiter. Γενέθλιοι Græcis, quibus placidis (*y*) vel

(*y*) De hiſce Diis placidis intelligo locum *Ovidii* Lib. I. ex Ponto Epiſt. VIII:

At tibi naſcenti, quod toto pectore lætor,
Neruntfatales fortia fila Deæ.

Contra de iiſdem iratis accipiendus *Plautus* Ciſtell. Act. III. Sc. I.

Sceleſtus, natus Diis inimicis omnibus.

vel iratis prout quiſque natus, ita felix cenſebatur. Ad hos Genethliaci ſpectant (z), in

(z) Dicti hi, qui ex natali conſtellatione omina captabant, *Genethliaci Gellio* Lib. XIV. cap. I. & *Cenſorino* cap. XIV. *Planetarii*, *Auguſtino* Lib. IV. Confeſſ. *Mathematici*, *Iſidoro* Orig. Lib. VIII. cap. 9. *Horoſcopi*, *Perſio* Satyr. VI. Quam tamen Genethliacorum vanitatem irrident alii, inter quos *Sext. Empiricus* Adverſ. Mathem. cap. XXI. *Simplic.* in *Epictetum* cap. I.

Nominalibus præſertim advocati,

vocati. Acceſſit quoque Neptunus Genethlius Deus, humore ſuo Nativitatem promovens. Cujus ædes Natalitiæ Lacedæmone.

Puerperæ verò proprii Dii, Parcæ tres ſunt, Partula à pariendo. Poſt partum cuſtodes tres, Silvanum ab ingreſſu nocturno arcentes (*a*), quem

(*a*) Quoniam Sylvani & Fauni quos vulgo Incubos vocabant, improbi quondam fuerant mulieribus ac earum appetiverant & peregerant concubitum, Puerperis ſtatim poſt partum tres cuſtodes adhibebantur, ne Sylvanus per noctem ingrederetur & jacentem vexaret. De his Auguſtinus de Civit. Dei Lib. VI. cap. IX: *Mulieri fœtæ poſt par-*

tum tres cuſtodes commemorat [Varro] *adhiberi, ne Sylvanus per noctem ingrediatur & vexet: Eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſa tres homines noctu circumire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſteo pilo, tertio deverrere ſcopis: ut his datis cultura ſignis, Deus Sylvanus prohibeatur introire.* Additque ab his tribus totidem nuncupatos Deos: *Intercidonam, Pilumnum* & *Deverram.*

quem omni invidia abigunt, etiam coronato aſini capite ad lectum puerperæ ſuſpenſo. Hic lectus idem qui nuptialis, feminis familiaris, in atrio ſeu aula ſeu horto (*b*), dum

(*b*) Lectum Genialem quaſi generalem à generandis liberis appellatum animadvertit *Servius* ad Lib. VI. Æn. Eundemque genialem lectum pro puerperis ſtra-

ſtratum eſſe ſuadet *Prudentius* Lib. I. contra Symmachum:

Nondum maternam partu vacuaverat
alvum,
Conceptamque viri Sobolem paritura
gerebat
Prunuba; jam gravidæ fulchrum ge-
niale paratur.

Sternebatur autem vel palam in hortis, ut ille apud *Iuvenalem* Sat. x. in hortis Luculianis:

— --- *Tyriuſque palam Genialis in*
hortis
Sternitur. --- ---

Vel etiam in atrio domus, ante ipſam januam, qui idcirco *adverſus* dictus eſt. De quo accipiendus *Catullus*:

Si tamen adverſum mutarit janua le-
ctum
Sederit aut noſtro cauta noverca
toro.

dum in terram natus deponitur; ſternitur exemptilis,

(nonnullis Pilumno & Picumno (*c*) clauſis januis,

(*c*) De hoc *Servius: Varro,* inquit, *Pilumnum & Picumnum infantium Deos eſſe ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploraretur an utilis* [fortaſſe *vitalis*] *ſi qui natus eſt.*

obductoque thalamo. Staturam Herculis expreſſit, in certum futuræ magnitudinis omen, vel ut facilius puerperam cum infante caperet. Ditioribus auratus & argenteus, ſimplici pauperioribus ornatu, vel ex ebore vel teſtudine compactus. Accedunt lecto flores veſteſque ſeu purpureæ ſeu auratæ, cui loco puerperæ inſi-

inſident mariti Tibareni & Cantabri (*d*), ut uxorum vice ægrotent.

(*d*) Tradit hoc de iis *Cœlius Rhodig.* Lib. XVIII. cap. 22. Quod ex *Diodoro Siculo* hauſit, qui Biblioth. Hiſt. Lib. V: ὅταν γὰρ ἡ γυνὴ τέκῃ, ταύτης μὲν οὐδεμία γίνεται περὶ τὴν λοχείαν ἐπιμέλεια. ὁ δ' ἀνὴρ αὐτῆς ἀναπεσὼν ὡς νοσῶν, λοχεύεται τακτὰς ἡμέρας, ὡς τοῦ σώματος αὐτοῦ κακοπαθοῦντος. i. e. *Nam mulieris enixæ nulla in puerperio cura geritur: ſed maritus ejus velut æger decumbens, & corpus male affectum habens, puerperæ vice per certos aliquot dies in lecto decumbit.*

Nato infante nunc ploratus, nunc lætitia apud diverſos (*e*). Ille quidem ob triſtia

(*e*) Apud *Georgium Palamum* Orat. I. elegantiſſime accuſat Anima corpus,

pus, & ſe eo contineri & ſtringi in ipſo matris utero queritur, nec liberari dum in lucem prodit, ſed oriri hinc ejulatus natalitiis cantibus ex adverſo reſpondentes, & undique devincientes faſcias, & cunabulorum vincula, ſepulchralibus ligamentis cognata. Ἐντεῦθεν, inquit, καὶ κλαυθμυρισμοὶ τῶν γενεθλίων ᾀσμάτων ἀντιφθέγγονται καὶ περισφίγγουσι ταινίαι καὶ κειρίαι σπαργάνων συγγενεῖς. Quem locum *Gibert. Cuperus* Obſervat. Lib. 11. cap. 9. optime explicat ex nummo Antonini Pii, cujus averſa in parte Fauſtinæ partus, ut vult *Seguinus*, videtur ſub ſpecie Matris Ideæ cum tympaniſtis & Tibicinibus, qualem nos hic damus:

ſtia miſeræ vitæ exordia. Vnde non naſci optimum judicabat gentium conſenſus. Thraces enim Natales hominum flebant (*f*), exſequias verò

eorun-


ANTONINVS AVG PI VS PP TR P COS IIII

(*f*) Hujus rei teſtis eſt *Herodotus* Lib. III, quo referente, Thraces infantem recens natum circumſedentes ploratu atque lachrymis proſequebantur, commemorantes quot & quantæ illi, hanc vitam ingreſſuro clades atque calamitates ſubeundæ eſſent. Contra autem hominem defunctum cantu & tripudiis efferebant, narrantes quantis malis & ærumnis ille eſſet liberatus. De iiſdem eleganter *Valer. Maximus* Lib. II. cap. I. *Thraciæ vero natio merito ſibi patientiæ laudes vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exſequias cum hilaritate celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum prævidit.* Quo reſpectu *Solinus* cap. X. *Luctuoſa* Thracum *Puerperia* vocat.

eorundem hilares proſequebantur, Cauſianorum ritu, à quibus uſus tibiarum fluxit in funeribus. Perſæ ante quartum,

tum, vel quintum, vel ſeptimum annum natos non aſpexerunt, finito nempe primo fatorum circulo. Quod & veteribus Gallis placuit. Rident tamen Matres poſt ſeptimum diem quando vitalem ſperant natum, qui & ipſe plorat antequam rideat, variam ob cauſam. Meliorum etiam morum gentes de feliciter tranſacto puerperio lætabantur. Gaudium & ſalutatio inter amicos & clientes, *Hodie Nate Salve* (*g*); ab Oriente ad Romanos

(*g*) De gratulatione illa in Puerperio *Gellius* Noct. Attic. Lib. XII. cap. 1:

Eamus & Puerperium viſum & Patri gratulatum. Formula autem illa, *Hodie nate ſalve* apud *Plautum* Pſeudol. Act. 1. Sc. 3.

manos delato more, quam gratulationem prout quis ad Publicum bonum natus videbatur, vel ad damnum, variabant.

Hic amicorum congreſſus antequam fieret, utero egreſſum ſtatim lavabant, tanquam à matre ſanguinolentum (*h*). Can-

(*h*) Quoniam adhuc à Matre rubentes ſanguinolenti ſunt infantes, ſtatim orti ad eluendum ſanguinem lavabantur aqua, teſte *Hieronymo* Lib. IV. ad Ezechielem: Ita Bromia ancilla apud *Plautum* loquitur Act. V. Sc. 1:

Poſt-

Poſtquam peperit pueros lavare juſſit nos.

Quippe quod præter conſuetudinem puerorum, qui nati rubere ſolent, candidiſſimus Clodius Albanus natus ſit, inter rara refert *Capitolinus.*

Candidos quippe naſci inter rariora exempla. Lavabantur partim ſale, moleſto ſatis, partim aqua, eaque vel tepida, ut in funeribus, vel fervente, vel frigida, qua Germani etiam legitimum fœtum explorarunt (*i*), ſicut ad ſolem

(*i*) De hac Germanorum conſuetudine, qui aquæ Rheni arbitrio explorabant eſſetne partus legittimus an nothus, Epigramma exſtare monet *Turnebus*

nebus Adverſar. Lib. xxi. cap. 15. Et eo alludit *Claudianus*:

— *naſcentes explorat gurgite Rhenus.*

lem dubios natos examinat Aquila. Pſylli partus ſerpentibus offerebant (*k*) dijudicandos.

(*k*) De Pſyllis, qui recens editos ſerpentibus offerebant ut originis fidem probarent, venenis judicantibus, *Solinus* cap. xxvii. Et hoc ipſum carminibus cecinit *Lucanus* Lib. ix.

— — *fiducia tanta eſt*
Sanguinis in terram parvus cum decidit infans,
Ne qua ſit externæ Veneris miſtura timentes,
Lætifica dubios explorant aſpide partus.

(*l*) Quod

candos. Æthiopes avibus, ut legitimos diſcernerent, impoſuerunt. Græci aqua pariter ad ſordes puerorum abluendas, uſi. Additum ſubinde oleum in χύτλῳ (*l*), vel

(*l*) Quod ſale, vel aqua aut tepida aut frigida, vel vino vel nive laverint variitaceo, de oleo χύτλῳ tantùm addam *Nonni* locum, Dionyſiac. Lib. xxv.

Τικτομένῳ δ' οἱ ἦεν ἔρις τροφὸς ἔγχεα δ' αὐτῷ,
Μαζὸς ἔην καὶ χύτλα, φόνοι καὶ σπάργανα θώρηξ.

Nato vero illi erat contentio Nutrix: gladii vero ipſi
Mamma erat & vaſa oliaria, cædes & faſcia thorax.

toto corpori, vel oculis naribuſve, ad infantis robur & calo-

calorem non ſatis firmium augendum, conſervandum. Eo tamen ordine, ut lotionem aquæ ſequeretur oleum. Lacedæmonii vino lavarunt, ut morboſum corpus explorarent, alii Græcorum rore, Cimbri nive. Lavandi vel in clypeo (*m*) collocati antiquo cum

(*m*) In clypeo olim lavabantur. unde apud *Nonium* in Andromeda citatur hic verſus:

Nam ubi introducta eſt puerumque ut lavarent, collocant in clypeo.

Fuiſſe autem hunc antiquum cum funeribus ritum patet apud *Euripedem* in Troadibus, ubi cadaver Aſtyanactis pueri lotum defertur in clypeo.

(*n*) De

cum funeribus ritu, vel in mnaſiterna, vel labello, vel alio vaſe. Alvei quoque fit mentio, quod ſcaphiſterium appellatur. Crater Triſmegiſto. Chriſtianis baptiſterium, qui id debuerunt Romanis. Alvei in familia Cæſaris teſtudinei (*n*) erant in uſu, quo

(*n* De alveis illis in familia Cæſaris teſtudineis eorumque uſu *Jul. Capitolinus* in Clod. Albino: *Fuit autem*, inquit, *aliud ſignum imperii. Nam quum Cæſariana familia hoc ſpeciale habuerit ut parvuli domus ejus in teſtudineis alveis laverentur, nato infantulo teſtudo ingens patri ejus* [Albini] *munere piſcatoris allata eſt: quod ille homo literatus omen accipiens, & teſtudinem libenter excepit,* &

& eam curari juſſit atque infantulo ad excaldationes pueriles dicari, nobilitandum etiam hinc ſperans.

quo modo & lavabantur grandiores, quibus impoſitis haſtam addebant cum hac acclamatione, ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν (o).
Lava-

(o) Fœminæ Laconicæ, quia nihil magis quam liberorum fortitudinem exoptabant, ominis captandi cauſa filium quem pepererant mox in clypeo collocabant; acclamantes ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν. Id quod affirmat *Thucididis Scholiaſtes* Lib. II. εὐθὺς, ὡς ἐτίκτετο τὸ παιδίον, ἐν ἀσπίδι ἐτίθεσαν αὐτὸ, καὶ δόρυ πλησίον. καὶ ἐπεβόων, ἢ ταν, ἢ ἐπὶ τὰν. i. e. [Lacedæmonii] *confeſtim ſimul natus eſſet puer, in clypeo eum collocabant, & haſtam juxta. tum acclamabant:* ἢ τὰν, ἢ ἐπὶ τὰν.

(p) Quo-

Lavabant autem ſuis interdum manibus puerperæ ipſæ robuſtiores, ut plurimum obſtetrices vel ancillæ, quin ſervi & Eunuchi, qui idcircò muneribus donabantur. Fuit etiam quum ipſi Patres natos abluerent inſigni amoris argumento.

Lotus infans in terram ſtatutus (*p*) fuit antiquis temporibus

(*p*) Quoniam natus infans & lotus ab Obſtetrice in terram ſtatuebatur, ideo apud plurimos Authorum infantes nudos terra excipere dicitur. Eleganter illuc collinit *Plinius* Lib. VII. Nat. Hiſt. in Proœmio: Natura, ait, *hominem tantum nudum & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus ſtatim & ploratum.*

tum. Idemque ſignificare voluit *Ovidius*, cum ita in Ibim:

Qui ſimul impuro matris prolapſus ab alvo
Cyniphiam fœdo corpore preſſit humum.

Sanctior tamen, quam ut fœdo corpore, ut hic apud Poëtam, humum premeret, Auguſtus quippe quam primum natus attigiſſet terram conſecrata eſt apud *Suetonium* in Octavio cap. v.

poribus non ſine pompa. Mos è ſacris Hebræorum, qui tamen ante Iuſtinianum deſiit. Religiosè conſecrata terra quam primum attigiſſent Auguſti. Factumque id (*q*), ſive ut

(*q*) Cauſa hujus moris ſeu potius ſuperſtitionis triplex. Sive ut vocem terræ con-

contactu acciperet infans, de quo *Macrobius* Lib. 1. Saturn. cap. 12. ubi Terram aſſerit dictam *Opem quod ipſius auxilio vita conſtet: Fatuam, quod infantes partu editi, non prius vocem edant quàm attigerint terram.* Sive ut auſpicaretur rectus eſſe Diis Conjugalibus, ut *Varro* explicat Lib. 11. de Vit. P. R. apud *Nonium.* Sive deniquè ut Opem ſeu Matrem communem ſalutaret, quod perſuadet *Macrobius* Lib. 1. cap. 10. *Huic* [Terræ] *Deæ Opi,* inquit, *ſedentes vota concipiunt, terramque de induſtria tangunt, demonſtrantes ipſam Matrem eſſe mortalibus appetendam.*

ut vocem terræ contactu acciperet, ſive ut auſpicaretur rectus eſſe Diis Conjugalibus, unde ab Obſtetrice erectus in terram erigebatur, ſive ut Opem ſeu Matrem communem

nem ſalutaret, cujus poſthac indigebat ope. Ita in terra conſtitutis Statina Dea (*r*)

(*r*) Hujus Deæ Statinæ meminit *Tertullianus* Lib. de Anima: *Dum prima etiam conſtitutio infantis ſuper terram Statinæ Deæ ſacrum eſt.*

puerilis præerat, vel, ut aliis viſum, Statanus. Nihil autem horum factum, ſi ante depoſitionem inter vivos eſſe deſiiſſet. Hinc quorum vitalia indicia, tellure ſuſcipiebantur à Parente (*ſ*), vel Procuratore

(*ſ*) Hanc infantum à Parentibus ſublationem clarè ex *Senecâ* intelligo, qui Conſol. ad Marciam cap. 18. *Conſulti ſunt de nobis parentes noſtri, qui cum condi-*

conditionem vitæ noſſent, in hanc nos ſuſtulerunt. *Terentius* Andr. Act. II. Sc. VI.

Nam quod peperiſſet juſſit tolli.

tore ejus, quo inter legitimos numerarentur hæredes. Vbi differre conſtat naſci & ſuſcipi, educare & tollere, cujus varia eſt notio. Tollere enim pro generare poſitum, quia pro mortuis habiti qui non ſuſcipiebantur, ut ſervi, imò pro necare. Fiebat ea ſublatio ope Levanæ Deæ (*t*), ſed

(*t*) Fierique credebant eam ſublationem ope Levanæ Deæ, de qua *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. IV. cap. 11: *Ipſe opem ferat naſcentibus excipiens eos*

D *ſinu*

ſinu terræ, & vocetur Opis. Ipſe in vagitu os aperiat & vocetur Deus Vagitanus. Ipſe levet de Terra & vocetur Dea Levana.

ſed à Patris dependebat voluntate, cui vitæ & mortis poteſtas in eos, quos pro ſuis agnoverat, licet eam amori Vxoris vel meretricum plerumque ſubmiſerit. Cuncta ritu hoc celebrata, vt ex terra ſublatum infantem ſuſciperet per ſervum Parens, vel ejus vice puerpera ipſa, vel ſoror illius, vel familiaris aliqua. Obſtetrices quoque. Vnde Terræ Matres dictæ. Partum autem tollere nolebant Patres,

tres, ſi ſexus eſſet ſequioris (*u*): quippe maſculus

(*u*) Diverſus tamen ſexus aliquam in ſublatione peperit differentiam. Quippe Patres partum ſexus ſequioris tollere nolebant, ſed potius necari præcipiebant. Ita *Ovidius* Metam. Lib. IX.

Edita forte tuo fuerit ſi fœmina partu;
[Invitus mando: pietas, ignoſce] necetur.

boni fuit ominis. Contraria Indis (*v*) Lacedæmoniisque

(*v*) De Indis *Curtius* Lib. IX. *Genitos liberos,* inquit, *non Parentum arbitrio tollunt aluntque, ſed eorum, quibus ſpectandi infantium habitum cura mandata eſt.*

lex, quæ, patribus arbitrio tollendi detracto, iis relin-

quit voluntatem ſuſcipiendi quibus ſpectandi infantes curam demandavit. Omnes Iudæi tollebant, Crotonenſes nullos. Contra quam tollendi libertatem natæ Leges Papiæ, & jus tot liberorum apud varias gentes.

Quos ſuſcipere nollet Pater ominis ergò & metus, more à Diis derivato, expoſiti fuerunt (*x*), quandoque ene-

(*x*) Hujus Expoſitionis illuſtria occurrunt exempla. De Cyro quem propter ſomnium, quod de partu filiæ interpretati ſunt harioli, ſuſcipere noluit Aſtyages, *Iuſtinus* Lib. I. cap. 4. De Romulo & Remo *idem* Lib. XLIII. cap. 2, quos

quos Amulius præ metu exponi juſſit. Denique de Moyſe ad Nili ripam expoſito ſacræ paginæ teſtantur. De quo Pharaonis præcepto *Ezechiel* Tragicus in Exagoge:

Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν εἰς βαθύῤῥοον.

id eſt,

Deinde juſſit ut Hebræorum gens
Maſculos jaceret in fluvium profundum.

enecati. Cui contrariam legem Romulus (*y*), multitudini au-

(*y*) Magnitudini tamen urbis ac frequentiæ Romulus conſuluit apud *Dionyſium Halicarnaſſ.* Lib. II. ubi nullam prolem necari, nec, præter monſtroſam, exponi permiſit. Propter eaſdem cauſas Thebani etiam expoſitionem lege ſuſtulêre, capitis ſupplicio conſtituto ſi quis infantem expoſuiſſet, referente *Æliano* Lib. II. Var. Hiſt. cap. 7.

 (*z*) De

augendæ intentus, induxerat. Thebani etiam certis cautelis inhibuerunt. Majori jure Athenis Cynoſargi ſpurii expoſiti (z), & Romæ omnis

(z) De hoc egregium ſuppeditat locum *Io. Tzetzæ* Hiſtor. Chil. XIII. cap. 489.

Εἰς ὄστρακον γὰρ γράφοντες τὸ ὄνομα ἐκείνου,
Ἐῤῥίπτουν εἰς κυνόσαργες. τόπος δ' Ἀθήναις τοῦτο,
Οὗ καὶ τοὺς νόθους ἔῤῥιπτον τοῖς χρόνοις τοῖς προτέροις.

In teſtam enim ſcribentes nomen ipſius,
Projiciebant in Cynoſarges. locus autem Athenis hic,
Quo & ſpurios projiciebant temporibus priſcis.

generis nothi. Nam abortus promovere per legem ICtorum

rum vetitum & Medicorum (*a*), ut ad minuendam mul-

(*a*) Alii fœtum expoſitioni maturum fieri non permittebant, ſed antequam in lucem legittimè ederetur, adhuc in utero materno vix conceptum abortivis expellere tentabant. Quod tamen omnes boni deteſtatione & communi odio proſequebantur. *Gellius* Lib. 12. cap. 1: *Quod cum ſit publica conteſtatione communique odio dignum, in ipſis hominem primordiis, dum fingitur, dum animatur inter ipſas artificis naturæ manus interfectum iri.* Nec minus mulieres quæ hoc conabantur homicidii reæ tenebantur, quam ſi editum necaſſent. Ita enim *Auguſtinus* Serm. de temp. 111: *Mulier quæcunque fecerit per quod jam non poſſit concipere, quotiescunque parere poterat, tantorum homicidiorum ſe eſſe ream cognoſcat.*

 (*b*) Qui-

multitudinem Minois damnemus merito inſtitutum. Exponebantur inprimis monſtroſa (*b*), nonnunquam benè nati

(*b*) Quinam verò & quam ob cauſam exponebantur, diſertè nos edocet *Terentius* Hecyr. Act. IV. Sc. 1.

--- --- ſed demiror
Quid ſit, quam ob rem tantopere hunc omnes nos celare volueris
Partum: præſertim cum & recte & ſuo pepererit tempore.
Adeone pertinaci animo, ut puerum præoptares perire.

Ex quibus verbis *Donatus* duas cauſas celandi vel exponendi partus elicit: *Duæ cauſæ ſunt*, inquit, *celandi partus. Si non tempore ſuo venerit quod indicium ſtupri eſt: & ſi non recte evenerit: hoc eſt, monſtrum aliquod natum fuerit. Hic autem & tempore ſuo & rectè natum prædicat.*

dicat. Quare ego & tertiam addo cauſam ex mente ipſius *Comici*, quod interdum etiam bene natos invidiæ cauſa expoſuerint, quo modo intelligenda arbitror ultima ejus verba:

Adeone pervicaci animo ut puerum præoptares perire.

nati invidiæ cauſa, quod parricidium eſt in Digeſtis, interdum ut interficerentur, ſubinde ut ſervarentur quos perdere decretum fuerat. Aliquando partus exponebant, ob publicam calamitatem (*c*), ut

(*c*) De Romanis enim quod in publico luctu pueros expoſuerint, refert *Suetonius* in Caligula cap. 5: *Quo defunctus eſt die, lapidata ſunt templa, ſubverſæ Deum aræ, Lares familiares à quibuſ-*

 dam

dam in publicum abjecti, partus conjugum expoſiti.

ut ex ſacris Orientalium liquet, à quibus ad Græcos, & ab his ad Romanos inſtitutum hoc tranſiit. Romani tamen dubii videntur, ſublato penitus per Valentinianum & Valentem more noxio. In exponendo ſervorum ſervarumque opera uſus fuit Dominus, hoc quidem ritu, ut clam exportarentur per tenebras, &, quibus agnoſcerentur grandævi, crepundia (*d*) addebantur ſeu

(*d*) Crepundia hæc ſive γνωρίσματα *Terentio* Eunuch. Act. IV. Sc. 6. *Monumenta*

menta dicuntur. Et interpretatur *Donatus* : *Monumenta* , *quæ Græci dicunt* γνωρίσματα καὶ σπάργανα. Addebantur autem illa crepundia exponendis infantibus , ut poſtea grandævi à Parentibus noſcitarentur. Quod ex *Plauto* colligo Ciſtellar. Act. III. Sc. I.

Nam hic crepundia inſunt, *quibuscum*
te illa olim ad me detulit:
Quæ mihi dedit, *parentes te ut cognoſcant facilius.*

Et ad hunc ſenſum traho *Ciceronem* volentem, qui in Bruto: *Quoniam totum me non nævo aliquo aut crepundiis ſed toto corpore videris velle cognoſcere.*

ſeu γνωρίσματα, rarò nudis relictis. Erantque illa vel annuli (*e*) in ſignum libertatis, &

(*e*) Crepundia annulos fuiſſe ex *Terentio* liquet Heautont. Act. IV. Sc. I.

--- --- *Hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor*
Is, qui cum expoſita eſt gnata --- ---

& ne ab hæreditate viderentur excluſi; vel monilia matrum, quarum hic ornatus, & brachialia, promiſcui tunc inter plurimos uſus; nonnunquam faſciis ipſis ſeu ταινίαις (*f*), quibus utriuſque

(*f*) Faſciam vel ταινίαν fuiſſe, perſuadeor ab *Heliodoro* qui Æthiop. Lib. IV: ὥστε ὥρα σοι πάντως ἐπιδεικνῦναί μοι τὴν ταινίαν ἣν τῇ παιδὶ συνεκτεθεῖσαν ὑποδέδεχθαι μετὰ τῶν ἄλλων γνωρισμάτων ἔλεγες. id eſt, *Quamobrem tempus eſt omnino ut mihi faſciam oſtendas, quam cum filia expoſitam te cum cæteris indiciis recepiſſe dicebas.*

parentis inſculptum nomen, invo-

involuti, & fibulæ conjunctæ. Vas, in quo exportabantur, χύτρα dicitur ſeu olla, item ὀστεάκιον, fiſcella quoque (*g*). Ali-

(*g*) Inſtrumentum quo Moyſes expoſitus, Navigioli formam expreſſiſſe videtur. In vulgatis Bibliis *Exod.* cap. 2. verſ. 3. *Fiſcella ſcirpea* nominatur: Et *Ioſephus* atque *Alexandrinus Clemens ſcirpos* interpretantur, cum ex papyro vas conſtructum dicant, quia iis in locis abundat. In Rabbinico opuſculo, quod de Vita Moſis edidit *Gaulminius*, hoc Vaſculi contextum ex juncis תביה *thebah*, *arca* nominatur. Quicquid ſit ex papyro fuit ut navigioli formam non defuiſſe videamus, de qua ita etiam apud *Eſaiam* cap. XVIII. verſ. 2. *Vulgatus* legit: *Qui mittit in mare legatis & in vaſis papyri ſuper aquas*. Et ut minus de Moyſis fiſcella dubitemus, hoc genus Nili

fluvio ſamiliare meminit *Lucanus :*

--- ſic cum tenet omnia Nilus,
Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

Quare huc pertinere Ectypon Gemmæ, quam Nicolaus Fabricius, Dominus du Peïeres, *Laurentio Pignorio* Menſam Iſiacam exponenti, exhibuit, perſuadet nobis *Petrus La Sena* in Cleombroto, quam nos hic damus:



Putat enim figurarum faciem hoc maniſeſtiſſime indicare, quippe in navigiolo lectuli ſimilitudo & in icuncula humana, infans faſciis involutus à quovis facile agnoſcitur. *Laur. Pignorius* vult

vult eſſe Orum ſeu Harpocratem in Baride forſan jacentem, virgata veſte indutum, pedibus indiſcretis.

Aliquando ex papyro ac bitumine, ſeu arundine & leviſſimo ligno, aliquando vas fictile. Cantharus ad poculi Bacchi ſimilitudinem. Nec enim Cantara anus eſt (*h*), ſed

(*h*) In Cantharis etiam exponi ſoliti, unde intelligendus *Terentius* in Andria Act. IV. Sc. 5.

Dav. *Luem ne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?*
Mys. *O hominem audacem.* Dav. *verum. vidi Cantharam*
Subfarcinatam..

Vbi ineptè admodum *Donatus*: *Canthara*,

thara, inquit, *nomen eſt anus*. Sed cur adferri dicitur, & non potius pedibus ſuis incedere? Quare majorem veri ſpeciem ſententia habet *Euphragii* Grammatici qui *Cantharam ſubfarcinatam* interpretatur, *quaſi corbem ſupponendo puero repletam*.

ſed corbis potius, quæ Ciſtella alibi, qualis Moyſis erat viminea oblonga & clauſa. Aliqui in corio bubulo expoſuerunt. Locus puero exponendo dicatus, plerumque concurſu hominum frequentabatur. Nam in deſertis collocati pro occiſis erant. Ad compita apud Græcos, inter quos Athenienſes ſpurios ad Cynosargen extra portam relegabant,

bant, ubi & iidem tanquam in gymnaſio exercebantur adulti, & nomen mutabant. Degeneres Lycurgus ad Apothecas miſit (*i*). Romani

(*i*) Teſtem habeo *Plutarchum* qui in Lycurgo de Spartanis: εἰ δὲ ἀγεννὲς, καὶ ἄμορφον, ἀπέπεμπον εἰς τὰς λεγομένας Ἀποθέτας, παρὰ Ταΰγετον, τὸν βαραθρώδη τόπον. *Male natum & deformem amandabant in voraginoſum locum ad Taygetum, quem vocabant Apothetas.*

& Ægyptii ad fluvios, illi quoque ad lacum Velabrenſem, ubi puerorum fiebat commutatio, & ad Columnam Lactariam (*k*), denique ad cloacas. Apud Chriſtianos in

in pietatis locis reconduntur. Ita autē expoſitos leges Romanorum publicæ tutantur. Nam ſoluti ſunt patria poteſtate, non abſolutè, quia ſolutis alimentis repeti poſſunt, præſertim à matribus. Alibi in nullo erant

(*k*) Quapropter dicta illa Columna Lactaria, quod ibi infantes lacte alendos deferebant, teſte *Feſto* de Verbor. Significatione. Fuitque in foro Olitorio, ita deſcribente *P. Victorio* in Deſcript. Vrbis, region. 11. Ad hanc Columnam Lactariam *Ravardus* in Lib. Conject. cap. 17. refert veroſimili ſane conjectura *Goltzii* Numiſma in Faſtis, fol. 208.

In


VESPILLO
Q·LVCRFI·Q·F


I·S·M·R·

In eo enim Columna depicta eſt, ut ipſe judicat, media inter duas capras cum infantulo, & altera parte effigies Iunonis Soſpitæ Matris Romanorum, cui commendari adſerit infantes lacte caprino ali ſolitos. Et hanc ſuam conjecturam adeo *Goltzio* placuiſſe refert, ut poſtea Indicem rerum in Faſtis memorabilium conficiens, columnam illam *Lactariam* appellare non dubitaverit. Non tamen ſatisfacit hæc conjectura *Alphonſ. Acaranzæ* Lib. de Partu cap. IV. Sect. 2.

erant cenſu (*l*), quia ſervi videntur. Nulli tamen licuit in ſuum dominium vindicare, quin omnes ex Canone liberi evadunt, qui ne inter irregulares

(*l*) De hoc Expoſitorum cenſu vide *Senecam* Lib. v. Controv. 33.

(*m*) Sic

lares quidem audet reponere. Agnoſcebantur certis monumentis, iiſque cum expoſitis iterum repertis, cœna adornata.

Alias apud antiquos videas puerperas, quæ tantum abeſt expoſuerint natos, ut, quibus carebant, alienos expoſitos ſibi ſuppoſuerint (*m*), vel ſub-

(*m*) Sic apud *Plautum* Trucul. Act. II. Sc. 5.

--- --- *mater dicta quod ſum eò magis*
Studeo vitæ, quæ auſa ſum tantum clam dolum aggrediri,
Lucri cauſa avara probrum ſum executa, alienos dolores
Mihi ſuppoſivi.

(*n*) Ex

ſubdiderint. Inprimis meretrices, ut ſe puerperas amantium gratia ſimularent, & obſtetrices, falſum partum aliis ſupponentes. Illæ aqua & igne arcebantur: in his verò capitalis conſtituta pœna. Hoc pacto à ſterilibus hæredes quæſiti, quos etiam ex viá Appia petere potuerunt. Omnibus autem ſuppoſitis ad legitimam matrem fas erat redire. Monſtra in exponendorum numero, quia cunabula exterrent, ter novem virginibus expiarunt Romani, cantantibus carmen & donum

donum Iunoni offerentibus, iteratiſque hoſtiis, ſi primis litatum non eſſet, ex præſcripto augurum & quindecim Virorum procurarunt. Non expoſita tamen, ſed occiſa, ferro partim, partim igne. Plerumque in aquam immerſa (*n*). Quæ omnia ad placan-

(*n*) Ex Aruſpicum diſciplina moribus Romanorum receptum erat Androgynos, cum hujus generis monſtra minime educanda eſſent religionis obtextu, in mare deportare & in profundum demergere, ut non uno in loco *Iul. Obſequens* Libell. de Prodigiis teſtatur, ad evertendum quod impendere malum ex ortu Reipublicæ verebantur. *Iacobus Durantius* expiationis cauſa Androgynos

nos æquoris undis ſuffocatos ait, quod veteres ad purganda & expianda mala omnia his aquis frequentiſſime uterentur. Quod tamen in ipſum retorquet *Petr. La Sena* in Cleombroto, cap. VIII. Quippe projectione & necatione Androgyni mare potius ipſum pollui verba hæc *Ciceronis* pro Roſcio evincunt: *Noluerunt corpus feris objicere, ne beſtiis quæ tantum ſcelus attigiſſent immanioribus uteremur: non ſic nudos in flumen dejicere, ne cum delati eſſent in mare ipſum polluerent.*

candos Deos perpetrata, qui imminentem iram monſtris monſtrabant. Mera intelligimus monſtra, non illa quæ in lege Papia Matri proderant, quæ nec ab Eccleſiaſtica dignitate, quia ſana ſunt, in Canonis veterum excluduntur.

Sed

Sed ad natum à Patre ſuſceptum redeamus, qui involucris tegendus. Illa duplicia infantibus. Alia quæ rubenti ſubſternuntur, quale linteamen album, quo, donec ablatus ſit, involvitur puer (*o*). Sacrum id infantibus ſignum, quia ad Deos ſacerdoteſque linum pertinet. Placuit idem commoditatis cauſa, ſicut lintei

(*o*) Prioris generis involucrum, nempe linteamen album, quo, donec ablutus erat, involvebatur puer, nobis ob oculos ponit *Iulius Capitolinus* in Clodio Albino: *Filius mihi natus eſt* VIII. *Cal. Decembr. ita Candidus ut linteamen quo exceptus eſt vinceret.*

tei thoraces Græculis, vel ut tenerrima corpora lini virtute ſolidentur. Etenim linum fuit naſcentium, quemadmodum Charyſtius ſeu amianthus mortuorum. Linum hoc infantum in candido nonnunquam purpureum apponebatur, nonnunquam pro dignitate pueritiæ ſubſternebatur. Alia habuit involucra jam lotus, & in cunis reponendus. Ea vel faſciæ ſeu panni (*p*) toto

(*p*) Inter involucra, quæ lotus & in cuna reponendus puer habebat faſciæ erant vel panni, eæque faſciæ modo albæ modo purpureæ pro varia puerorum fortuna. De his intelligo *Capitolinum* in

in Clodio Albino: *Acceſſit omen quod cum pueri ejus familiæ ruſſulis faſciolis illigarentur, quod forte lotæ atque udæ eſſent ruſſulæ faſciolæ, purpurea matris illigatus eſt faſcia.*

toto corpori circumducti, vel incunabula, quibus cunis alligatur. Quæ accurate omnino diſcernenda. Priorum in defunctis quoque uſus, ut natis. Faſciæ æquales commodum infantis ſpectant, ſæpius laneæ variis coloribus; ſed Magnates vel albas vel purpureas tantum ſibi ſeligerant. Dicuntur quoque crepundia, quibus expoſiti vel adulti ludebant. Ideò invecta, ut ſa-

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON

lem contineant & per aliquot annos membra ſtringant (*q*)

(*q*) De earum autem, quæ æquales commodum infantis ſpectabant, uſu duplici *Hieronymus* in cap. XVI. Ezechielis, nempe ut & ſalem, quo tenella corpora conſpergebantur, continerent, & membra in rectum exitura ſtringerent. Ita autem Hieronymus: *Tenera infantium corpora pannis involvuntur duplicem ob cauſam: ut & ſale ſiccetur corpus, quod pannis ne defluat ſervatur & ſtringitur: & membra tenerrima ne facile depraventur.*

Barbaris. Romanis verò vix annuum ſpatium. Incunabulis infans cunis alligatus (*r*), ne motu

(*r.*) De cunabulis his, quibus infans cunis alligabatur, omnino accipiendus *Plautus* in Amphitryone:

Nemo

Nemo eum colligare quivit incunabu-
lis.

motu exturbaretur. Illuſtriorum ex purpura, ſecus quam faſciæ, quia hæ teguntur, illa patere debent. Interdum ſtrophium mammarum virginale matris, purpura tinctum. Tranſiere ſubinde ad mortuos, ſicut κηρία mortuorum ad cunas. Annum ſuperarunt in iis infantes nunquam, quibus tripudia quoque inter ornamenta.

Cunæ rurſum verſum trahi aptæ inter obſcœnas res recenſentur, & cum σπαργάνοις

ſeu faſciolis confuſæ. Has Nutrices movent, vel ſervi Cunarii (*ſ*), qui poſtea forſan puerorum eorundem pædagogi, & ancillæ Cunariæ. Forma variæ. Modò clypeus, modo

(*ſ*) De Cunario *Martialem* explico Lib. XI. Epigr. 40.

Cunarum fueras motor Charideme meарum.

Super eandem rem illuſtrem plane ex *Grutero* afferam Inſcriptionem, pag. CCCXI:

D. M.
TEIÆ. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMÆ. CVNA
RIÆ. RVFINÆ. V̄. V̄
GLYPTVS. FRATER. QVI
ET. FELIX. VIVOS. VIVÆ
POSVIT.

modo cribrum & vannum (*t*), aliàs navigioli forma, eaque vel tecta ſpinis vel aperta; nonnunquam verſatilibus fulcris huc illuc moti infantes, vel angulis penſilibus ad ſomnum compoſiti & voluptatem, etiam grandiores ex Gymnaſticorum præcepto. Pue-

(*t*) Omitto alias cunarum differentias alibi fuſius explicandas. De Vanno ſeu ventilabro pro cunis apud *Callimachum* eſt, Hym. 1.

—— —— σὲ ϗ κοίμισεν Ἀδρήστεια
Λίκνῳ ἐνὶ χρυσείῳ —— ——

Λίκνον enim ſive λικμὸς vannus, item cribrum Svidæ. Pro cunis etiam apud *Homerum* Hymno in Mercur.

Puerorum cunæ ad latera (*u*), Medicorum verò etiam ſurſum deorſumque duci potuerunt. Magnatibus ſegmentatæ, non tam vermiculata pictura, quam ſtragulis purpureis, quibus flores acceſſerant, & pelvis excrementis puerilibus recipiendis deſtinata. Præ-

(*u*) Ad puerilium hoc cunarum genus, quæ ad latera duci poterant, refero elegantiſſimam Tabulam antiquiſſimi Codicis manuſcripti Geneſeos, apud *Lambeccium* Comment. Biblioth. Cæſar. Lib. I I I. Ex quo Codice fragmentum cap. 39. Geneſeos delineat ita *Lambeccius*:

Vbi



Vbi præter varia ad Gynæcea veterum, rem veſtiariam & lanificium ſpectantia, obſervatu digniſſimæ Cunæ infantiles rurſum verſum trahi aptæ, in quibus jacentem puerum nutriali arte ſopire ac crepundiis vel aliis adhibitis crepitaculis delinire geſtit Cunaria, eodem plane modo quo hæc deſcribit *Arnobius* Libr.

IV. Adverſ. Gentes: *Suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repſit? atque ut fletum poneret ineptiſſimè tractum crepitaculis obtinuit auditis: & ad ſomnos inductus eſt in molliſſimis cunis jacens & vocibus delinitus infractis.*

Præerat his cunis & pueris ipſis intra cunas Cunina Dea (*x*), quæ lacte placatur. Iuxta eas verò congeſtæ aviculæ, quibuſcum luderent, item

(*x*) Hanc ex *Auguſtino* probo de Civit. Dei Lib. I. cap. 20. *Et Cunina* [colitur] *quæ infantes in cunis tuetur ac faſcinum ſummovet.* De eadem Inſcriptio apud *Gruterum* pag. XCVI.

CVNINÆ. FELICI
SACR
CLAVDIA. HELPIS
D. D.

(*y*) Qui

item ſpecula, adjunctique catelli, & dracunculi, nec non cymbalà. Cultelli apud Septentrionales. Aliis nummi à Nutrice accepti, à quibus etiam mobilibus curribus circumacti ferebantur. Circa Nilum Ægyptiaci in cymbis ludebant (*y*), cymbalis & tibiis

(*y*) Qui antiquitus repreſentarunt Nili imaginem in ea luſus ſpecimina varia adumbrarunt. *Philoſtratus*: περὶ τὸν Νεῖλον, οἱ πήχεις ἀθύρουσι παιδία ξύμμετρα τῷ ὀνόματι. *Cubiti circa Nilum ludunt pueri, corporis quantitati cognomines.* Huc reſpexiſſe crediderim *Ovidium* Lib. 1. Triſt. El. 2.

Delicias videam Nile jocoſe tuas.

Hunc puerorum Ægyptiacorum circa

Nilum in cymbis luſum cum cymbalis & tibiis illuſtrat optime ſepulchrale illud marmor apud *Petrum La Sena* in Cleombroto cap. VI. ex quo nos idem hic exhibemus:

Putat Phœnicis viri vel puellæ monumentum fuiſſe, idque Palmarum arbores hic expreſſas ſignificare, quod his plantis Syria abundet & ea maxime pars quæ Phœnicia dicta eſt. Præter has autem arbores, inſculpta inibi naviculantium puerorum imago, calamorum inflatio, & crepitaculi ſuccuſſus expreſſi, atque è feneſtella exſertus alterius jocantis puellæ vultus.

tibiis adhibitis. Rectè enim à pueritia ludere jubentur à Platonicis. Ob quem conſuetum luſum habiti in deliciis.

Ante Cunas obſtetricum

ſub-

ſubjacebant curæ, poſt ad Nutrices tranſierunt. Obſtetrix antiquis opſtetrix (z), ab ope, vel obſtando, in honore

(z) Obſtetrix ſeu Opſtetrix, ab eadem derivata etymologia promiſcuè dicta ſunt. Quorum præter authores alios ipſa etiam Marmora fidem faciunt. Ita apud *Gruterum* Inſcript. Antiq. pag. DCXXXVI.

SALLVSTIA. Q. L. IMERITA
OPSTETRIX
Q. SALLVSTIVS. Q. L.
ARTEMIDORVS
ARESCVSA. FECIT.

Et apud Eundem alibi obſtetrix dicitur in hac Inſcriptione:

ANTONIÆ. AVG. L.
THALVSÆ
OBSTETRIC

Erat autem in obſtetricibus & quædam artis Medicæ peritia, nam & medicinam exhibere dicuntur *l.* 1. §. *ſed & obſtetricem ff. de var. & extr. cogn.* & *Anianus* ad *Pauli* Lib. 2. Sent. tit. 24. *Quinque obſtetrices*, inquit, *id eſt medicæ.* Quare etiam Medicinam matri faciebant, quod monuit *Pollux* Lib. IV. cap. 26: Διδοῦσι φαρμάκια &c. αἱ μαῖαι ταῖς δυστοκούσαις, ὁ πλάτων λέγει. *Dant obſtetrices pharmaca quædam his quæ difficilem partum expertæ ſunt.*

nore cum Medicis conveniunt, ſi probatæ. Principio an prægnans ſit æſtimabat, aliarum quoque mulierum concurrente judicio. In puerperii articulo matris vice exitum procurans (*a*), rectè ſuſcep-

(*a*) Primarium autem Obſtetricum offi-

officium erat in puerperii articulo exitum partus procurare. Quare Obſtetricis & Nutricis officium ita diſtinguit *Nonius Marcellus* de Propr. Serm. cap. v: *Educere eſt extra trahere, Educare, enutrire vel provehere. Varro de liberis educandis: Educit enim Obſtetrix educat Nutrix.* De obſtetrice nos pluribus alibi, interea de iis vide *Th. Bartholinum* Parentem de Inſolit. Part. Human. Viis.

ſceptum faſciis involvit. Hujus quoque ope detractus pileus naturalis, brutis communis, qui cauſidicjs vendebatur (*b*) antiqua ſuperſtitione.

(*b*) Hujus ſuperſtitionis authorem habeo *Ælium Lampridium* in Diadumeno: *Solent deinde pueri pileo inſigniri naturali, quod obſtetrices rapiunt & advoca-*

vocatis credulis vendunt, ſiquidem Cauſidici hoc juvari dicuntur. Sed plurima eaque rariora de hac ſuperſtitione in Opere meo congeſſi, ſuo ea cum reliquis commodiori ſervaturus tempori.

ne. Medicinam nato matrique faciebat, & ad loturam manus contulit. Nec ignotum hoc maribus munus. Si falſum partum ſuppoſuiſſet, lege tenebatur. Duravit verò obſtetricis neceſſitas ad quintum diem, quum muneribus donaretur, & lotis manibus Nutrici infantem committeret, quod Athenis aſſo factum pane. Nutrix (*c*) dicta à nutriendo,

(*c*) Nutrici deinde infans commiſſus

ſus cujus officium erat lac præbere & cibum, interdum ulnis gerere. *Ovidius* Metamorph. Lib. IX.

Hunc totum infantem maternis demite ramis,
Et date nutrici: noſtraque ſub arbore ſæpe
Lac facitote bibat. --- ---

Ariſtophanes in Equitib. Act. II. Sc. 2.

Καθάπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς:
Μασώμενος γὰρ, τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς,
Αὐτὸς δ' ἐκείνου τριπλάσιον κατέσπακας.

Nutricum more tu populum paſcis male:
Quia ubi præmanderis, in os paullum ipſi ingeris,
Tu vero triplo plus quam alumnus devoras.

Eas neque Marmora tacent. Vnde Romæ in Hortis Carpenſibus, quæ Inſcriptio ex *Grutero* peti poteſt pag. DCLX:

D. M. S.

D. M. S.
EMILII. NISI
VIXIT. MENSIB
X I.
FECIT. VALERIA
HYGIA. NVTRIX.

triendo, ſicut Nutrix Hercules Paraſitorum, & Nutrix mamma, quod cibum præbeant. Magna in electione diſquiſitio. Ancillæ enim barbaræ fuere, & pro re nihili, vel meretrices inquilinæ natos in cella educantes (*d*). At

(*d*) Sic enim *Suetonius* in Octavio, cap.6: *Nutrimentorum ejus oſtenditur adhuc locus in avito ſuburbano juxta Velitras permodicus & cellæ penuariæ inſtar.*

(*e*) Hoc

At frugaliorum matrum proprium (*e*) hoc officium.

(*e*) Hoc eſt quod præcepit Plutarchus de inſtituendis liberis: *Debent autem meo quidem conſilio partus ipſæ nutrire genetrices, hiſque præbere ubera. Majore enim ſtudio & cura nutrient.* Et ne plures afferam, exſtat apud *Gellium* Lib. XII. cap. I. illuſtris diſſertatio Favorini philoſophi, qua ſuaſit nobili fœminæ ut liberos non nutricum ſed proprio lacte aleret.

Omnium cum Rumina (*f*) curam gerere, faſciis involvere, niſi apud Lacedæmonios,

(*f*) De Rumina *Auguſtinus* de Civit. Dei Lib. IV. cap. II: *In Diva Rumina mammam parvulo immulgeat, quia rumam dixerunt veteres mammam.*

(*g*) Ele-

nios, cunas movere, nænias lalloſque (*g*) cantare, ut vel à pueris redderentur, vel ad ſomnum componerent, cui cantilenæ Lallus Deus præerat,

(*g*) Eleganter nutricum nænias lalloſque deſcribit *Auſonius* Epiſt. 16. ad Probum:

Sic iſte qui natus tuus
Flos Floſculorum Romuli,
Nutricis inter lemmata
Lallique ſomniferos modos
Sueſcat peritis fabulis
Simul jocari & dicere.

Proprium hoc nutricum erat, tali arte pueros ad ſomnum allicere, idque cum facerent βαυκαλίζειν vel βαυκαλᾷν Græcis dicebantur. Vt *Heſychius*: βαυκαλᾶν, κατακοιμίζειν, τιθηνεῖν, παιδία μετ' ᾠδῆς κοιμίζειν.

(*h*) Ex

erat, alioſque jocos addere, ſubinde ulnis gerere, unde bajuli, quanquam id onus quoque ſervi geruli (*h*) ſub

(*h*) Ex *Hieronymo* hoc percipio, qui ad Lætam: *Nutrix ipſa*, inquit, *non ſit temulenta non laſciva*, *non garrula*, *habeat modeſtam gerulam*, *nutricium gravem.*

Nutrice ſubierint. Pallium gerere maculoſum, mammamque præbere, ſi Lacedæmonios & Germanos excipias, quorum diverſum inſtitutum. Vnde Collactei ſub una Nutrice (*i*). Vino abſtine-

(*i*) Hoc erat eandem Nutricem ſimul

mul bibere ut loquitur *Apuleius* Lib. II. Metamorph. Dicti autem Collactanei, Collactei vel Collactii. Collactaneos dictos probo ex Inſcriptione apud *Gruterum* pag. MCXIX. Romæ apud Lapicidas D. Petri:

D. M.
P. ÆLI. PASTO
RIS. VOLVSIA
L. F. SALVIANÆ
COLLACTA
NEO.

Collactea admittit *Iuvenalis* Sat. VI.

Tullia quod dicat notæ Collactea Mauræ.

De Collactio aliam dabo ex *Grutero* Inſcriptionem pag. DCLXI.

D. M.
K. LOCÆRVS
PVBLICVS
HÆLENO
COLLACTIO
B. M.

(*k*) Su-

ſtinebant nigro, ſed album largius potare permiſſum. Pappare docuerunt & ad pubertatis uſqe tempus natis aderant. Poſtea eas manumittere licebat, & in mammarum memoriam mortuas inſcriptione (*k*) proſequi. Infantes pappant mammam amplexuri vel patrem vocaturi. Vnde Papa pro Patre apud Græcos & Romanos, ſeu Avo, ut apud Arabes, pro quo alii Atta, quod ad fratres etiam tranſiit,

(*k*) Super eam rem exempla videre ſi cui volupe adeat *Gruterum* Inſcript. Antiq. pag. DCLX.

(*l*) De

tranſiit, vel Abba, item Tatta, Mater nutrixve Mamma (*l*)

(*l*) De iis loquatur Inſcriptio quæ Romæ in hortis ad aquam Virginis exſtat, ſed apud *Gruterum* legitur Inſcript. pag. DCLXII.

DIS. M.
ZETHO. CORINTHVS
TATA. EIVS. ET. NICE
MAMMA. F
V. A. I. D. XVI.

quod mammas porrigerent, & Pappi qui pappum miniſtrant, ut & Pædagogi (*m*). Lallabant eodem modo, unde Lalli

(*m*) *Iſidori* Gloſſæ: *Papas, Pædagogus, qui ſequitur ſtudentes.* Et *Iuvenalis* Sat. VI.

--- *timidus prægustat pocula papas.*

(*n*) De

Lalli & Laliſionos, & ἄλαλοι nondum loquentes, qui accepta voce Fabulino Deo (*n*)

(*n*) De Fabulino Deo *Varro* apud *Nonium* de Propr. Serm. cap. XII: *Sic cum primum fari incipiebant, ſacrificabant Divo Fabulino.*

ſacrificant. Papa verò cibus puerorum, ſicut Bua potus (*o*). Recens baptizatis Chriſtianorum & pueris Paganis

(*o*) Quod Buas & papas cibum & potum parvulorum vocaverint, author mihi eſt *Nonius Marcellus* de Propriet. Serm. cap. II. *Buas potionem poſitam parvulorum. Var. Cato, vel de liberis educandis: Cum cibum ac potionem buas, & papas docent, & matrem mammam patrem tatam.*

 (*p*) Non

ganis mel datum, cum lacte ex vaſculo χυτριδίῳ per ſpongiam. Quarto enim die Nutricis lac ſucceſſit. Mariſcæ & melimela (*p*), puls & libum delicatiorum, ſetania plebejorum ſeu cœpæ alliique viliſſimum genus, quibus pro potu acetum. Lacedæmonii citra ſatietatem, ut fami aſſueſcerent. Chriſtianis veteribus

(*p*) Non obſcurè hoc indicat *Martialis* Lib. VII. Epigr. 24.

Nec cibus ipſe juvat morſu fraudatus aceti
Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.
Infanti melimela dato, fatuaſque mariſcas.

(*q*) Con-

ribus reliquiæ Euchariſtiæ præbebantur (*q*). Sed ante,

(*q*) Conſuetudo Euchariſtiam infantibus dandi, Cypriani temporibus obſervata fuit, & temporibus Caroli Magni, quamque *D. Auguſtinus* approbat Lib. I. de peccatorum merit. cap. 20. Et apud Æthiopes teſtis eſt *Oſorius* Lib. IX. infantes eo die, quo ſalutaribus aquis initiati ſunt, Euchariſtiam in mica panis aſſumere.

finita nempe ablactatione, epulæ inſtructæ, & pro ciborum auſpicio Eduſæ, potionis Potinnæ ſacra fiebant (*r*), por-

(*r*) Eduſam & Potinam Deas præſides haberi puerorum vult *Varro* apud *Nonium Marcellum* de Propr. Serm. cap. II. *Cum pro cibo & potione initiarent*

rent pueros, ſacrificabantur ab edulibus Eduſa & à potione Potina nutrici. Apud Auguſtinum tamen Lib. IV. cap. II. de Civ. Dei, pro *Educa*, ex veteribus codicibus emendat *Vives*, *Edulica*.

porcellis lactentibus & pane furfuraceo, ubi ſimul Cubæ initiabantur, ſicut apud Chriſtianos farre. Exportati denique in agros ad Dianam, tumque nutriri cœperunt, quod diverſum fuit ab ali.

Inter hæc ſacra tertius affulſit dies Romanis, Græcis quintus, quo Coronæ natalitiæ foribus ſuſpenſæ (ſ), eædem

(ſ) Cum recens natus eſſet infans non

non ſatis erat Parentibus in ſinu gaudere, ſed gaudium ſuum ſuſpenſa præ foribus corona publicè teſtabantur. Ad quem morem *Iuvenalem* traho Sat. IX.

> *— — Foribus ſuſpende coronam*
> *Iam Pater es.* — —

Ideoque, notante *Meurſio* Attic. Lect. Lib. IV. cap. 10, Puerperæ domus coronata, Στεφανήφορος dicta eſt. Ad Coronas haſce natalitias alludentem obſervo *Nonnum* Dionyſiac. Lib. XXV.

> Βάκχου στέμματα ταῦτα λεχώϊα, ταῦτα Λυαίου.

id eſt,

> *Bacchi coronas haſce puerperio condecentes, haſce Lyæi.*

cædem fere quibus nuptialium feſto frontem crineſque haſtâ compoſitos cinxerat nova nupta, in honorem Laris familiaris qui foribus præ-

 ſidet.

ſidet. Ita enim alias quoque in nuptiis poſtes coronati, vel ad arcendum faſcinum ex Ethruſca ſuperſtitione, quomodo & anterior Lecti pars ornatur; vel potius ad Veſtam, cui poſtes ſacri, placandam hæc tendunt, quæ in puerperio viſa ſibi erat læſa, & alioquin, ut Iunonis ſoror, ad puerperium aliquid contulerat; vel denique in amantium concubitus victoriam. Athenis maſculis oleaginea ſuſpenſa corona, lanea femellis (*t*). Romanis

(*t*) Hanc in ſexu vario circa coronas natalitias diverſitatem noto ex *Heſychio*,

ſychio, ita enim ille: Ἔθος ἦν, ὁπόθε παιδίον ἄῤῥεν γένοιτο παρὰ Ἀττικοῖς, στέφανον ἐλαίας τιθέναι πρὸ τῶν θυρῶν, ἐπὶ δὲ τῶν θηλειῶν ἔρια. *Moris erat apud Athenienſes, quando puerulus maſculus eſſet, coronam oleaginam ſtatuere præ foribus, ob fœmellas vero, lanas.*

manis laurus ob generis perpetuitatem, & hedera apiumque ceterarumque herbarum fragrantium corollæ.

Quinto die emergente inſtituta λοετρὰ λεχώϊνα, ad manus earum abluendas, quæ obſtetricatæ fuerant (*u*), aut aliquid

(*u*) *Parrhaſius* Quæſit. per Epiſt. prolixè diſputat, *An ſolitæ ſint puerperæ à partu ſtatim lavare?* Locum enim *Terentii* Andr. Act. III. Scen. 2.

 Nunc

Nunc primum fac iſta ut lavet,

ita explicat, quaſi *iſta*, non quæ ex puerperio ſordebant, ſed ipſam puerperam ſignificaret. Græci λοετρὰ λεχώϊνα dixere. Sic enim *Apollon. Rhodius* Argonaut. Lib. II.

— ἠδὲ λοετρὰ λεχώϊα τοῖσι πένονται

Atque balneas puerperio condecentes illis parant.

aliquid attigiſſent ex puerperio, ipſaque puerpera ob curarum ſolutionem, & laſſitudinem. Quo more poſtea ſolennibus Natalitiis ſervato, lavabant manus quum epulas inſtruerent, idque in polubro & gutto. Sequebantur eadem luce munera Natalitia puero oblata (*x*), miniſtris puerperii

(*x*) In puerperio munera natalitia puero offerebantur quod ex *Capitolino* literæ Commodi ad Albinum teſtantur: *Baſſianus & Geta te ſalutant. Iulia noſtra & te & ſororem ſalutat. Infantulo tuo Peſcennino Prineo munera digna ſuo loco tuoque mittamus.*

perii & puerperæ, cui ſolennia Calendis Martiis (*y*) quoque dona, umbellas, armillas.

(*y*) De illis *Martialis* Lib. x. Epigram. 24.

Natales mihi Martiæ Kalendæ,
Lux formoſior omnibus Kalendis,
Qua mittunt mihi munus, & puellæ.

Quippe his feſtis dona à Viris mittebantur mulieribus, eaque varia, vel umbellæ vel armillæ, quæ me edocet *Iuvenalis* Sat. IX. qui etiam ob dictam cauſam fœmineas eas vocat Kalendas:

En cui tu viridem umbellam, cui ſuccina mittas
Grandia, natalis quoties redit aut madidum ver
Incipit & ſtrata poſitus longaque cathedra
Munera fœmineis tractas ſecreta Kalendis.

millas &c. donabant mariti, facili JCtorum venia. Cimelia alioquin. Munuſcula puerorum polypi fuere, ſepiæ, coronæ, gemmæ. Ἀνάθημα donarium vocatur ſacri Baptiſmatis. Ὀπτήρια quæ primo viſo infante exhibentur. Aliis inſuper muneribus ſervi feriebantur (z).

Tota

(z) Non ſolùm puerperæ & pueri. ipſi

ipſi munera accipiebant natalitia, ſed etiam ſervi atque liberti, quæ munera & in ipſo puerperio & quando puero nomen imponebatur diſtributa ſunt. Id enim ex *Terentio* colligo, qui in Phorm. Act. 1. Sc. 1.

--- --- Porro autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.
Porro alio autem ubi erit puero natalis dies,
Vbi initiabunt --- ---

Tota reliqua hebdomade prima, Iunoni propoſita menſa (*a*), ſuper quam votivus

(*a*) De menſa hac Iunoni per totam hebdomadam propoſita explico *Tertullianum*, qui Lib. de Anima: *Dum in partu*, inquit, *Lucinæ & Dianæ ejulatur, dum per totam hebdomadam Iunoni menſa proponitur.*

tivus infans Diis oblatus & commendatus votis, quæ ſuſcepta fuerant, vel ſolutis vel adauctis. Menſam adeſſe nullam pro malo omine interpretabantur, eratque ferè ara, in qua libatum. Deæ Iunoni lectus additus, & in ejuſdem ærarium conjecti nummi. Sequutæ pro natis ſupplicationes, per omnia templa circumductis. Templa erecta & aræ poſitæ ob puerperia (*b*), cuſi-

(*b*) *Tacitus* Annal. Lib. xv. ob natam Neroni filiam Templum Fœcunditati decretum memorat. Sed præter Templa etiam aræ ob Puerperia poſitæ, ſuper quam rem illuſtrem ex *Suetonio* repe-

repetam locum, qui in Caligula cap. VIII. de loco natali C. Cæſaris: *Vbi natus ſit incertum diverſitas tradentum facit. Cn. Lentulus Getulicus Tiburi genitum ſcribit: Plinius Secundus in Treveris, vico Ambiatino, ſupra Confluentes: addit etiam pro argumento aras ibi oſtendi inſcriptas:*

OB AGRIPPINÆ
PVERPERIVM.

cuſique nummi Fœcunditati, pro ſingulorum conditione ſpectacula varia, Circenſe, Atticum. Adhæc ſtatuæ cum Inſcriptionibus ſoluto voto exſtructæ. Fiebat ea commendatio per Patrem vel adoptatorem, vel aruſpicem, vel nutricem apud Lacedæ-

monios in Dianæ Corythalliæ æde. Epulo quod Κοπίδα appellant, inſtructo, etiam apud Romanos is dies variis ludis celebratus.

Vltimo hebdomadis primæ die natis infantibus tabellæ fata inſcripta, vel virgæ Natalitiæ compactæ, quæ cum nato adoleſcerent (*c*). Aliis quer-

(*c*) Quippe moris erat quondam natis infantibus populeam virgam defigere in ſolo. Quod etiam memini *Meurſium* in exiguo ſuo de Puerperio Syntagmate annotaſſe, ex *Donato*, qui ita in vita *Virgilii*: *Virga populea more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta ita brevi coaluit, ut multo ante ſatas populos adæquârit: quæ arbor Virgilii ex* eo

eo dicta, atque conſecrata eſt, ſumma gravidarum religione, ſuſcipientium ibi & ſolventium vota. Atque hunc morem veteres ſignificaſſe judico cum *fata ſcribunda advocare* dicerent, ut apud *Tertull.* de Anima cap. XXXIX. Quippe hæc quæ fata vocantur, in tabula ſolita erant perſcribi, de qua re elegantem in Opere meo ſervo *Chryſoſtomi* locum, inter alia hujus commatis non vulgaria.

quercinæ, unde Marianæ, aliis populeæ, à quarum felicitate fata puerorum metiebantur, veteres & annoſas reſtituere ſatagentes. Scritifini non nomina arboribus, ſed ipſos nuper natos appenderunt. Alii veterum luminibus accenſis in puerperio fortunam natorum futuram explorarunt.

rarunt. Huic ſucceſſit luſtricus dies, quo nomen adepturi, quemadmodum mortui, luſtrabantur (*d*). Maribus

(*d*) Luſtricum diem deſcribit Macrobius Saturn. Lib. 1. cap. 16: *Eſt autem luſtricus*, inquit, *dies quo infantes luſtrantur & nomen accipiunt*. Puellarum autem luſtricum diem fuiſſe octavum, puerorum Nonum teſtem habeo *Feſtum*, cujus rei cauſam repeto à *Cenſorino* ex *Plutarcho* in Quæſtionibus Romanis.

nonus, femellis Octavus, ultima hebdomadis aliis, qui etiam intra quintum diem ſubſtiterunt. Præerat Nundina Dea feſto (*e*), quod Suovetau-

(*e*) Illa Romanorum Dea quæ à feſto

ſto hoc dicta occurrit apud *Macrobium* Saturn. Lib. 1. cap. 16, ubi eſſe dicit *Nundinam Deam Romanorum à nono die naſcentium nuncupatam, qui luſtricus dicitur.*

vetaurilibus peractum & circuitione. Circumferebantur pueri per obſtetrices vel miniſtros circa focum, unde ἀμφιδρόμια (*f*), δρομιαμφια per metatheſin. Focus ille, nil niſi aræ

(*f*) De hoc feſto, ex multis unum afferam *Suidam* qui hac die, quæ Ἀμφιδρομία dicta, manus obſtetricum purgatas & infantem circa focum circumlatum ait: Ἀμφιδρομία, ἣν ἄγουσιν ἐπὶ τοῖς βρέφεσιν. ἐν ᾗ ἀποκαθαίρονται τὰς χεῖρας αἱ συναψάμεναι τῆς μαιώσεως τὸ βρέφος περιφέρουσι τὴν ἑστίαν τρέχοντες. id eſt, *Quintus à natis infantibus dies quem Græci ſolemniter*

ter celebrant. Hoc die manus purgant illa quæ obſtetricis munere ſunt perfunctæ. Infantes autem circa focum ferunt currentes.

aræ Deorum hoſtijs calentes. Expiabantur deinde aquæ aſperſione per aniculas luſtrali (*g*) ex ſputo & pulvere, ex balneis plerunque ſumpto. Hinc eodem die vario ferculorum luxu convivium agitatum.

(*g*) Ad hunc ſenſum *Perſium* revoco Sat. II. verſ. 31.

Ecce avia & metuens divûm matertera, cunis
Exemit puerum: frontemque atque uda labella
Infami digito & luſtralibus ante ſalivis
Expiat. — —

(*h*) Iu-

tum. Sed quemadmodum breviter luſtrabatur infans, ita longiores moras puerpera in purificatione traxit. Nulla prægnans ante XL. diem, qui Athenis τεσσαρακοστὸς, in fanum prodiit (*h*), quia adeò im-

(*h*) Iuſtum puerperii tempus cenſebant quadraginta dies, niſi ſi morbi juberent producere, & ante illos exactos nulla prægnans in fanum prodiit. Qui hanc nobis explicet ſuperſtitionem, adducam *Cenſorinum* de Die Natali cap. XI: *In Græcia*, inquit, *dies habent quadrageſimos inſignes. namque prægnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum, & poſt partum quadraginta diebus pleræque fœtæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent: & parvuli ferme per hos dies morbidi ſine riſu nec ſine peri-*

periculo ſunt. ob quam cauſam, cum is dies prӕterierit, diem feſtum ſolent agitare, quod tempus appellant τεσσαρακοστὸν.

impura, ut ædes puerperarum Romanorum nullus ingreſſus ſit (*i*), vel egreſſi ſe purgarint tanquam ex funeſtorum contactu. Idem Æthiopes & Hebræi, hoc diſcri-

(*i*) Ædes puerperarum homines ſuperſtitioſi intrare nolebant, quod apud *Euripedem* invenio in Iphigeniâ Tauricâ, qui hic per Interpretem:

Si quis nocentes cæde conſcelerat manus,
Corpuſve tangat mortuum aut puerperam,
Altaribus ceu impium prohibet ſuis.

(*k*) Ita

crinnine, ut pariens feminam octoginta dies, maſculum 40. explerent. Idque quia tot diebus cenſebantur impuræ, quanquam ſeptem tantum diebus ſumma fuerit impuritas, reliquis à ſacro contactu arcerentur. Ratio diverſitatis non in gutta ſeminis eſt quærenda, contra Rabbinos, nec in diſtincta formatione, nec Adami & Evæ diverſo in Paradiſum ingreſſu; ſed quia ob corporis imbecillitatem hic majorem, ibi minorem, quæ impuras fecit, tanquam morboſæ

boſæ ſacris abigebantur. Vnde curatæ interea puerperæ, & poſtremo die per ſacerdotes à peccatis, non perjurii ſed originis, purgatæ, procuratæque etiam Romanorum feminæ. Verum ad pueros, quibus luſtrico die circumciſio apud alias Nationes pro luſtratione. Divinum id inſtitutum, ut corporis ſignaculum (*k*), Iu-

(*k*) Ita enim vocatur *Tertulliano* Apolog. cap. 21. Et Circumciſionis Sacramentum Epiſt. ad *Roman.* IV. verſ. 11. dicitur σφραγὶς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *ſignaculum juſtitiæ fidei.*

(*l*) Pro-

Iudæis proprium, qui recutiti (*l*), inter quos Apella; aliquando ab Adriano aliiſque ſublatum. Circumciſio ſimplici vice adminiſtrata, nonnunquam iteratò. Tranſiit enim & ad alios, Samaritanos in nomine columbæ circumciſos, Æthiopes, Ægyptios, Colchos, Phœnices Tro-

(*l*) Proprium hoc Iudæis fuiſſe ſignaculum demonſtrat *Petronius* qui hanc illis notam tribuit in Satyrico: *Quid tu*, inquit, *Giton*, *& circumcide nos ut Iudæi videamur*, *& pertunde aures ut imitemur Arabes*. Ideoque *recutiti* dicuntur *Martiali* Lib. VII. Epigr. 29:

Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum.

(*m*) Ho-

Troglodytas, Macrones, E-domitas, Ammonitas (*m*).

(*m*) Horum omnium meminêre præter alios multos, *Herodotus* Lib. II. *Diodorus Siculus* Lib. II. & Lib. IV. *Strabo* Lib. XVI. & XVII.

Arabes quoque per experimentum acquiſiverunt. Chriſtiani inſuper veteres, & Epiſcopi, ut adhuc κόφθοι (*n*) dicantur Ægyptiis. Apud Græcos & Romanos eſt quoque ſuſpicio non fuiſſe incogni-

(*n*) Κόφτος eſt à Mahumetanis confectum vocabulum, quod inviſos denotat, de quo *Kircherus* Prodr. Copt. cap. I.

(*o*) Cur

cognitam. Dies octavus erat (*o*), quia tum purgatæ erant, & unum tranſierant ſabbathum. Mahometanis octavus annus, Syris tertius decimus, aliiſque alius. Pars ſcindenda principium eſt genitalium ſeu ἀκροβυστία, ערלה Hebræis, ſuperfluum, luxurianſque, (Magis totum corpus) ſignum quod renaſci non poſſit. Aliæ tamen gentes iterum adducebant præputium

(*o*) Cur Circumciſioni octavus ſacratus ſit dies, erudite diſputat *Cunæus* de Republica Hebræorum Lib. III. cap. 5.

putium (*p*), & ſacræ quædam novum fecerunt. Vtriuſque diverſus modus diſquiritur fuſius. Maſculus Iudæis, Ægyptiis etiam feminæ Clitoris (*q*). Illis lex, his honor. Illi

(*p*) De præputio adducendo vide plurima apud *Parentem* noſtrum Venerandum Comment. de Morb. Biblicis, cap. XXVI.

(*q*) Vnde Nymphas Ægyptias exſcindere, dicit *Galenus* in Introductorio. Et hodieque hoc in Ægypto ſervatur ut Clitoridem incidant fœminæ, teſte *Alpino*. Quia eis plerumque nimis excreſcit, non aliter ac illius fœminæ de qua *Tulpius* in Obſerv. Lib. III. cap. 35. longitudine digiti & craſſitie colis puerilis.

(*r*) Sa-

Illi totam amputant pellem, & reliquum unguibus abradunt. Hi Arabeſque incidunt tantum, ut iterum conſolidetur. Inſtrumenta non unius generis. Teſta ſubinde (r) & ſilex, ut in ſacris Cybeles. Novacula pleriſque, cujus incommoda prævidentes alii forpicem elegerunt, alii bipennem. Catino hæc inferebant, & ad morbos ſervabant præ-

(r) Samia teſta virilitatem amputabant Matris Deûm Sacerdotes, ſi credimus *Plinio* Lib. xxxv. cap. 12. Et id voluiſſe arbitror *Martialem*:

Abſciſſa eſt quare Samia tibi mentula teſta?

 (ſ) Hunc

præputium. Miniſtri quivis. At totum actum convivio clauſerunt Arabes, Iudæi voto. Peracta circumciſione nomina fiebant illis, aliiſque poſt luſtrationem. Omnibus ſanè gentibus, præter Atlantes (ſ), nomina ſua erant, ſeu vocabula, aliis ſigna. Apud Ebræos octavo induntur maſculis, fœminis initio menſis.

(ſ) Hunc apud Atlantes morem deſcribit *Pomponius Mela* Lib. 1. cap. IX: *Ex his*, inquit, *qui ultra deſerta eſſe memorantur*, *Atlantes ſolem execrantur*, *& dum oritur & dum occidit*, *ut ipſis agriſque peſtiferum. Nomina ſinguli non habent: non veſcuntur animalibus.*

(*t*) Im-

ſis: Nominalia (*t*) Romanis maſculis octavo erant die, femellis nono. Græci variabant,

(*t*) Impoſitionis nominum, magna cum cæremonia à Romanis uſurpatæ illuſtrem ſuppeditat locum *Tertullianus*, *Nominalium ſolemnitatem* appellans, Lib. de Idolol. cap. 16.

ut in Luſtratione, aliàs quidem quintus, aliàs verò decimus (*u*). Sunt qui ſeptimi memi-

(*u*) Septimi diei & decimi à puerperio, qui apud Græcos promiſcuè celebrati, mentionem facit *Suidas*: τοῖς ἀποτεχθεῖσι παιδίοις τὰς ἑβδομάδας καὶ τὰς δεκάτας ἦγον. καὶ τὰ γε ὀνόματα ἐτίθεντο αὐτοῖς. οἱ μὲν τῇ ἑβδόμῃ, οἱ δὲ τῇ δεκάτῃ. id eſt, *Septimos & decimos natorum dies celebrabant, & nomina iis imponebant,* *alii*

alii quidem ſeptimo, alii vero decimo die. De decimo etiam conſentit *Ariſtophanes* in Avibus:

> Οὐκ ἄρτι θύω τὴν δεκάτην ταύτης ἐγώ;
> Καὶ τοὔνομ' ὥσπερ παιδίῳ νῦν δὴ 'θέμην.

id eſt,

> *Non ergo decimam ſacrificabo ob hanc ego?*
> *Et nomen illi jam velut puero dedi.*

Septimi diei, quem ob mutationis eo die certitudinem, eligebant, meminit *Ariſtoteles* Hiſt. Anim. Lib. VII. cap. ultimo: Τὰ πλεῖστα δὲ [παιδία] ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῆς σωτηρίας. id eſt, *Plerique puerorum moriuntur ante diem ſeptimum: ideoque & nomina tunc imponunt, tanquam jam de ſalute magis fidentes.*

meminerint tum ob mutationis eo die certitudinem, tum ob ſacrum numerum. Vnde Græcis

Græcis omnis ſeptimus à nativitate feſtus. Chriſtianis nulla nec olim, nec nunc certus nominis dies. Ritus hi fuerunt. Convocare amicos, eligere qui præeſſet nominis impoſitioni, ut nunc apud Chriſtianos fit, nomen dare infanti, crines tondere, Diis ſacrificare & agitare convivium. Ex luminum accenſorum fato nomen auſpicatum eligere quidam (*x*). Iudæi ſan-

(*x*) *P. Lobbetius* Lib. III. de Pecc. Propoſ. 1. tradit veteres nomina infantibus impoſituros, quaſi vitam longiorem proli quærere: cereis enim accenſis appendebant varia nomina, ea lege, ut

ut nomen ejus cerei qui diutius flammam ſuſtinuiſſet, vitæ producendæ ſpe votoque infanti cederet. Antiquum hunc ritum deſignat *Chryſoſtomus* in Cap. II. Epiſt. 1. ad Corinth. *Nomen*, inquit, *Sancti alicujus impoſituri*, *cereos complures accendebant*, *ſuum cuique nomen aſſignantes*, *atque ejus demum qui cereis exſtinctis ſupervixerat*, *nomen quaſi longioris ævi accipientes*, *puero imponebant.* Et addit: *Inde divinabant longam infantis futuram vitam.* De aliis in Nominalibus adhibitis ritibus multa obſervavit *Caſaubonus* ad *Perſii* Satyram II.

ſanguine cuncta ſignant Numerus varius. Hebræis plerumque unum, rarò duo. Græci ſimplici nomini addidere patriam, quod fere & Ægyptii. Romanis tria nomina

mina (*y*) ipſis Nominalibus fiebant. Prænomina & Cognomina

(*y*) De Nominum horum omnium ratione variâ meretur audiri *Iſidorus*, qui in horum explicatione nobis erit inſtar omnium. Ita enim ille Origin. Lib. I. cap. 6: *Nomen dictum eſt quaſi notamen, quod nobis vocabulo ſuo notas afficiat. Niſi enim nomen ſcieris cognitio rerum perit. Propria nomina dicta ſunt quia ſpecialia ſunt. Unius enim tantum perſonam ſignificant. Species propriorum nominum quatuor ſunt: prænomen, nomen, cognomen, agnomen. Prænomen dictum eo quod nomini præponatur, ut Lucius, Quintus. Nomen vocatum quia notat genus, ut Cornelius. Cornelii enim omnes eo genere vocantur. Cognomen quia nomini conjungitur, ut Scipio. Agnomen vero quaſi accedens nomen, ut Metellus Creticus, quia Cretam ſubegit. Extrinſecus enim venit agnomen ab aliqua ratione.*

Cognomentum autem vulgo, eo quod nomini cognitionis cauſa ſuperadditur, ſive quod cum nomine eſt.

mina erant propria, Nomina familiæ. Prænomina honeſtæ nomenclaturæ eligantur, quia de eo primum ſceleris quæſtio habebatur, qui turpius nomen poſſideret. Patres Romani ſuum majori natu imponunt, avi nomen reliquis. Xanthii à matribus mutuantur. Feminæ & ſervi ſolis ferè gaudent nominibus, quæ variè ad diſtinctionem inflectebantur, nonnunquam prænominibus (z). Quartum deinde

(z) Prænomina fœminarum agnoſcit *Feſtus* : *Prænominibus*, inquit, *fœminas eſſe appellatas teſtimonio ſunt Cæcilia & Tarratia, quæ ambæ Caja ſolitæ ſunt appellari. pari modo Lucia & Titia.* Sed de his pluribus diſputat *Petrus Servius*.

deinde nomen adulto puero ſuperadditum, Agnomen, à fortuna vel virtute. Profitebantur deinde Patres puerorum nomina publica conteſtatione (*a*), ſimulque in ærarium Ilithyiæ numinum infe-

(*a*) Huc alludentem habeo *Apuleium*: *Pater*, inquit, *natum ſibi filium cæterorum more profeſſus eſt.* Et hanc natalem profeſſionem παιδογραφίαν vocat *Modeſtinus*.

 (*b*) Hoc

inferebant. Mox intra tertium ab impoſito nomine diem, in Actis publicis relati à Præfecto ærarii (*b*), non nomina

(*b*) Hoc ſenſu *Jul. Capitolinus* in Gordiano: *Cum apud præfectum ærarii, more Romano, profeſſus filium, publicis actis ejus nomen inſereret.*

tantum tam legitimorum quam ſpuriorum, ſed ad confuſionem vitandam, etiam cognomina, nec non dies nativitatis & Conſul. (*c*), quod

(*c*) Quod apud ærarium Patres filiorum natorum nomina detulerint notato die & Conſule, vide *Briſſonium* Antiq. Lib. I. cap. 5.

(*d*) Con-

quod & Indis olim & Europæis hodie quoque haud infrequens. Acta illa, Faſti aliàs dicta, Tabularia & Chartæ, in Saturni templo aſſervabantur (*d*).

(*d*) Conſentit *Servius* II. Georgic. *In Templo Saturni reponebantur Acta, quæ ſuſceptis liberis faciebant Parentes.*

Pueris ſive ante luſtrationem ſive poſt, dormientibus Caprimulgus inſidiatur (*e*), &

(*e*) Coptis βερσέλια, hoc eſt, *Mater puerorum*, Caprimulgus appellatur, qui inſidiatur pueris dormientibus teſte *Kirchero* Part. III. Lex Copt. Hebræis לילית *Lilith*, à ליל, quod nox eſt, quia nocte volat. Quod apud *Eſaiam* cap.

 XXXIV.

XXXIV. verſ. 14. *Pagninus*, *ſtrigem* reddit. Strix autem *Iſidoro* nocturna avis eſt & lac præbere dicitur naſcentibus. In Creta è caprarum uberibus lac exſugit, & ideo Caprimulgus dicitur, apud *Bellonium* Obſerv. Lib. I. cap. 10. De infantibus ejuſmodi vexatis memorabile exemplum refert *Parens* Venerandus Hiſtor. IX. Centur. I. Et ſimile apud *Ovidium* legimus Lib. VI. Faſtor. de Strigibus:

Ad thalamos venere Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium quinque diebus erat.
Pectoraque exorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit opemque petit.

& Lilith לילית, item ſagæ ſeu ſtryges variis faſcinis, quæ vel allio vel alyſſo vel Re turpi

in

in collo ex annulo appenſa abiguntur. Res illa turpis non Satyri fuit ſpecies, ſed Priapi (*f*), qualem in ære habemus,

(*f*) Faſcinus erat res turpicula è collo pueris appenſa, teſte *Varrone* Lib. VI. Romæ enim putarunt res teneras aſpectu noxio viroſorum hominum aut mulierum faſcinari, eoque ut aſpectum effaſcinantium ab oculis puerorum abducerent, ſuſpendebant illis è collo Mutinum Deum. Sic enim Cario ad mœchum, cui ſe virilia exſecturum minitatur, apud *Plautum* Milit. Act. V. Sc. I:

Quaſi puero in collo pendeant crepundia.

mus (*g*), in nuptiis & poculis

(*g*) Faſcinum illum ex ære è Muſæo *Paren-*

Parentis hic exhibemus. Et alias inſuper hujus amuleti ſpecies ex Lapide Lazuli, corallio & chryſtallo, quæ apud *Pignorium* in Menſa Iſiaca:

culis eodem metu frequentatam & Deabus familiarem. Ob turpitudinem enim faſcinantium oculos avertit, ne aſpiciant infantes, unde & in Aſini magnitudinem aliquibus crevit. Acceſſerunt & Orchides (*h*), forſan in coronis Natalitiis, & medius digitus infamis, quo ſalivâ frontem & labella ſignabant. Cui faſcino infantili ſucceſſere grandioribus bullæ ad invidiam, ditioribus aureæ, aliis coria-



(h) *Plinius* enim radicem orchidis faſcinis utilem prædicat, Natur. Hiſtor. Lib. xxvi. cap. 10: *Altera Satyrion Orchis cognominatur, & fœmina eſſe creditur: diſtinguitur internodiis & ramoſiore frutice; radice faſcinis utili.*

coriaceæ, figurâ cordis vel lunæ pectori appenſæ. Adverſabatur eidem faſcino Cunina Dea, & præfiſcini: Chriſtianis veteribus crucis ſignum.

Sed quanquam à faſcino ſe tuerentur ſtrenuè, morbis tamen tentabantur. His non defuit Medicina, licet de vehementioribus pernegent alii. Infantum curam tractavere

vere Matres præſertim. Exhibuerunt quoque & Obſtetrices pharmaca. Æthiopes frontem infantum ipſo natalis die, Etruſci occiput, & venas verticis temporumque Libyæ populi urebant (*i*). Potiones per clyſteria ori infuſæ. Ad ſanitatem conſervandam exercitia cunis conferebant, adultioribus vehicula & navigia. Nec deerant vota pro infantum ægrotantium

(*i*) De hac uſtione nos plura in Exercitationibus Miſcellaneis. Exſtat autem antiquiſſimus hic mos apud *Herodotum* Lib. IV.

(*k*) Hu-

tium ſalute, quæ Iunoni Lucinæ (*k*), Caſtori & Polluci ſolve-

(*k*) Hujus enim Deæ ſoſpitatricis tutelæ eximio plane monumento commendatur Cecropii filius vel adhuc morbidus, vel poſt ſalutem recuperatàm, quod monſtrat manus ænea. Ejus votum ita referens:

CECROPIVS. V. C. VOTVM. S.

Effoſſa eſt illa inter Divi Gregorii rudera, cujus iconem ab Illuſtriſſimo Equite Caſſiano à Puteo *Tomaſino* communicatum hic damus:

Crediderim Iunoni pro ſalute filii hoc votum ſolutum cum ejus moris plurima exſtent indicia. Ita apud *Gruterum* Inſcript. pag. XXIV.

BASSA. VITELLI
RO. Q. VITELLIO. Q. F.
FILIO. SVO
NONI. LVCINÆ. V. S. L. M.

(*l*) De

Pag.



ſolvebant (*l*), ſanitate reſtitutis. Indignabantur enim

(*l*) De hoc elegantem affert *Gruterus* Inſcriptionem, pag. XCVIII. ex ſaxo quod Murciæ exſtabat in Hiſpania:

CASTORI. ET. POLLVCI.
DIIS. MAGNIS
SVLPITIA. Q. SVLPITII.
F. VOTVM
OB. FILIVM. SALVTI.
RESTITVTVM.

animæ puerorum hinc emigrare. Sed mortuis inferias non libarunt. Nec eos ante dentes natos uſſere (*m*). Quo-

(*m*) Hoc apud *Plinium* reperio Natur. Hiſtor. Lib. VII. cap. 16: *Hominem*, inquit, *prius quam genito dente cremare mos hominum non eſt.*

(*n*) Lo-


Quorum ideò nulla buſta, ſed ſuggrundaria (*n*), quo-

(*n*) Locus ubi infantes hujuſmodi ſepeliebantur dictus Suggrundarium, de quo *Fulgentius Placiades* de Priſco ſermone: *Suggrundaria antiqui dicebant ſepulchra infantium, qui necdum* XL. *dies impleſſent, quæ nec jam buſta dici poterant, quia oſſa quæ comburerentur non erant, nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumeſceret. Vnde Rutilius Geminus Aſtyanacte ait: Melius ſuggrundarium quæreres quam ſepulchrum.*

rum formam expreſſimus (*o*), corporibus eorum in urnulis, quia

(*o*) Formam Suggrundarii hujus ex *Io. Bapt. Suarez* Antiquit. Gaditanis Hiſpanica Lingua ſcriptis, Lib. IV. cap. 4. hic publico communicamus:

(*p*) Sic



quia is vetuſtior mos, impoſitis. Chaldienſes extra urbem in via ad Euripum humantur. Grandiores natu ſarcophago (*p*) integris corpo-

(*p*) Sic apud *Gruterum* Inſcript. pag. DCLXXXIX. L. Iuli Marcelli, qui vixiſſe dicitur Ann. v. Diebus XXXI. CORPVS. INTEGRVM. CONDITVM. SARCOPHAGO. legimus.

ribus conditi in loco communi, vel ante aras. Lugebantur veſtibus Cyanæis, mollitiei ſigno, & fuſcis à tota familia, præſertim matribus & ſororibus. Ante auroram, quaſi à die rapti, facibus

cibus funeralibus & ad tibias elati (*q*). Quia nec lugere

(*q*) Hoc voluit *Statius* Lib. VI. Thebaid.

Cum ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mœſta. Pelopen monſtraſſe ferebant
Exequiale ſacrum, carmenque minoribus umbris
Vtile ---

In quem ita *Placiades Lactantius*: *Iubet religio ut majoribus mortuis tuba, minoribus tibia caneretur.* Et ita etiam ſentit *Servius* in Lib. V. Æneid. *Sciendum*, inquit, *majoris ætatis funera ad Tubam ſolere proferre*, *minoris vero ad tibias.* Sed ad puerorum ſolùm exequias reſtringi non poſſe tibias, utpote promiſcuè uſurpatas, alibi datô ſtudiô operoſius

ſius tracto, quare hic plura hujus commatis ſciens prætereo, cum hanc materiam Tractatui meo de *Tibiis Veterum* dedicarim.

gere trimo minores licuit. Acerba tamen eorum dicuntur funera (*r*), & infelices Parentes, piiſſimi verò filii, quibus contra votum eriguntur monumenta (*ſ*). Me-

(*r*) Pueri ad faces & cereos efferebantur & Acerba eorum funera dicebantur, quod ex *Seneca* intelligo, qui Epiſt. CXXII: *Iſti mihi defunctorum loco ſunt: quantulum enim à funere & quidem acerbo abſunt, qui ad faces & cereos vivunt?*

(*ſ*) De his & aliis infinita dicenda habeo, ſed Operi Majori reſervo. Monumenta, quæ contra votum Infantibus eri-

erigebantur paſſim obſervo. Inter alias Inſcriptiones elegans eſt illa apud *Gruterum* pag. DCCXVI.

VLPIA. PAVLINA
MATER. INFELICISSI-
MA. CONTRA. VO-
TVM. PIETATIS
POSVIT.

Memoria tamen Nati Nataliſque diei quotannis rediit feſto Genethliaco ſolenni (*t*), Principum progenie pro-

(*t*) Natalitia deinde annua celebrabant. *Plautus* in Perſa:

----- *hoc age accumbe*
Nunc diem ſuavem meum natalem inter nos agitemus amœnum.

Cicero Lib. II. Philippicarum: *Hodie non deſcendit Antonius. Cur? dat natalitia in Hortis.*

proprio, mox aliis, imò & Philoſophis, non viventibus ſolum, ſed fato functis. Vnde natum inter γενέσια, & γενέθλια diſcrimen (*u*), & inter ſacra publica & privata. Cunctis religio inerat maxima. Conſtitutæque, ne in demortuis omitteretur, uſuræ ad ſolvenda convivia (*x*). Mu-

(*u*) Inter utrumque hoc ſtatuit diſcrimen *Suidas*: Γενέθλια, ἡ δ' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος ἑορτή. *Celebritas quæ quotannis agitur eo ipſo die quo quis natus eſt.* Et alibi: Γενέσια. ἡ δι' ἐνιαυτοῦ ἐπιφοιτῶσα τοῦ τεχθέντος μνήμη. *Quæ quotannis in alicujus memoriam & honorem celebrantur.*

(*x*) In hujus rei teſtimonium illuſtrem

LA VILLE
LYON

[illegible]
[illegible]
s
d
t
t
t.

ſtrem plane afferam Inſcriptionem ex *Grutero* pag. DCCLIII.

Marmorea Tabella Bergonii in æde Benedicti:

Mutuati hinc ſunt Chriſtiani *Natales* Sanctorum & *Servatoris* noſtri. In quibus varia fuit Eccleſia antiqua non unam ob cauſam. Munera ab amicis miſſa Natalitia (*y*), pro

(*y*) Munera illa natalitia varia variis miſſa. *Virgilius* Eclog. III.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Iola.

Plinius Lib. IV. Epiſt. 9: *Multis enim aut etiam Principi dixerat, ſola ſe munuſcula, duntaxat natali ſuo aut Saturnalibus accepiſſe ac pleriſque miſiſſe.* Quare *Martialis.* Lib. VIII. cap. 64:

Vt poſcas Clyte munus, exigaſque,
Vno naſceris octies in anno.

pro cujuſque arbitrio. Imperatoribus nonnullis ſtatutum pretium placuit. Viri uxoribus, quod donatio cenſetur, Parentibus cognatiſque Tutores ex pupilli bonis, donarunt, clientes patronis, amicis amici. Idem Natalibus Anni in ſtrenis obtinuit. Munera ea varia. Annulus, quem tum geſtabant (z), in-

(z) *Perſius* Sat. I. v. 16.
Et natalitia tandem cum Sardoniche albus.
Vbi vetus *Scholiaſtes: Ambiguitas in natalitia, utrum eam natali munere acceperit,*

rit, aut tantum eo die gerere ſoleat: quia quidam habent annulos quos die tantum natali gerunt. Ita etiam annuli fuêre, qui tantum primo cujuſque anni die geſtati. De iis interpretor *Lucretium* Lib. I:

Qui etiam multis ſolis redeuntibus annis
Annulus in digito ſubtertenuatur habendo.

inauris, armilla, umbella, veſtes cubitoriæ cœnatoriæque, equi, coronæ, aves, libri (*a*), poëmata, aliaque, Ex-

(*a*) Sic *Cenſorinus* Q. Cærellio ſuum de die Natali Librum natalitii titulo mittit. Sic *Dionyſius Halicarnaſſ.* ſuum περὶ συνθέσεως ὀνομάτων filio inducenti virilem togam ipſo natali die tradidit. Eodem titulo *Lucianus* ſuum περὶ μακροβίων Libellum Quintillo conſecravit.

Exhibiti Ludi Theatrales, Circenſes (*b*), & venationes. Cruciarii ſepulti. Floralibus (*c*) quoque, & con-

viviis

(*b*) De ludis illis Natalitiis *Ælius Spartianus* in Adriano: *Gladiatorium munus per ſex dies continuos exhibuit, & mille feras natali ſuo edidit. Optimos quoſque in Senatu in contubernium Imperatoriæ majeſtatis adſcivit. Ludos Circenſes, præter Natalitios decretos ſibi ſprevit.* Ita etiam Auguſti natalem & Circenſibus & venatione celebratum quotannis fuiſſe, teſtis eſt *Dio* Lib. LIV.

(*c*) Florales Ludos in natalibus adhibitos eſſe credimus *Lactantio* Lib. I. cap. 20: *Flora*, inquit, *cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certam pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis celebraretur, editione ludorum quos appellant Floralia.*

(*d*) So-

viviis honoratus Natalis, ſplendididis frugalibuſque pro conditione hominum. Lecti ſtrati, & albatis veſtibus genio indultum. Quod in Chriſtianis veteribus reprehendunt quoque Canones. Vino aſperſi, præter pueros, & coronati convivæ. A ſanguine tamen & cæde animalium abſtinuere Romani, (*d*) omi-

(*d*) *Solinus* cap. II. *Et obſervatum eſt*, inquit, *deinceps*, *ne qua hoſtia Parilibus caderetur*, *ut dies iſte purus à ſanguine eſſet.* Et prima dies Quinquatrum, quia eâ nata Minerva erat, ſanguine vacabat. Cujus indicium apud *Ovidium* Lib. III. Faſt.

ominis ergo felicioris, primis temporibus, ſed ſequentibus natali die hoſtias percuſſerunt (*e*), genio immolaturi, cui floribus ſupplicatum, vino, libo, thure, lacte, mulſo. Inter hæc ſacrificia Diis commendabatur ille cujus Natalis erat

(*e*) Sed ut priſci illi natali die à cæde & ſanguine abſtinuerunt, ita poſterioribus temporibus id minus obſervatum eſt. Nam *Horatius* Lib. IV. Od. 11. Phylliden ad natalem Mæcenatis celebrandum invitans, ait:

Ridet argento domus: ara caſtis
Vincta verbenis, avet immolato
Spargier agno.

(*f*) Ex

erat (*f*). Chriſtiani voto pio natalium ſolennitatem tranſigerunt.

(*f*) Ex his intelligendus *Spartianus* in Adriano: *Natali ſuo ultimo cum Antoninum commendaret.* Id eſt, cum rem divinam faciens vota pro Antonino nuncuparet. Aliàs *natalem infantis commendare*, in Geta dicit *Spartianus*.

DE LA VILLE LYON

IN-

INDEX
Rerum & Verborum in Synopſi & Commentario occurrentium.

Abortus promovere vetitum. Pag. 79
Acerba funera. 170
Acta publica. 156
Ærarium Ilithyïæ. 155
Alcmena Dea. 19
Amiculum Iunonis. 4
Ἀμφιδρόμια. 137
Ἀνάθημα. *donarium Baptiſmi.* 130
Anuli inter crepundia. 83
Apothetæ. 89
Aræ ob Puerperia poſitæ. 133
Balneæ Puerperarum. 127
Baptiſmus. 36
Bua potus puerorum. 121
Braſſicæ uſus apud Gravidas. 11
in Cantharis expoſiti. 87
Cantus natalitii. 58
Caprimulgus. 157. 158
Catomidiari. 3
Cenſus expoſitorum. 92
Cibus infantum. 122
Circumciſio. 142. *Eius apud varios uſus.* 143. 144. *Tempus Circumciſionis.* 147. *Pars ſcindenda.* 145. *Mares & fœminæ circumciſæ.* 146. *Inſtrumenta Circumciſionis.* 147
Clavis à maritis tradita. 21
Collactanei vel Collactei. 117. 118
Columna Lact. 89. 90.
Coronæ natal. 124. 126
Crepunidia. 82. 99
Cuba. 124
Cunæ. 102. 104
Cunarii ſervi. 102
Cunina Dea. 106. 162
Cynoſargi ſpurii expoſiti. 78. 88
Deverra. 54
Diana Lucina. 29

Au-

Ἀνσίζονῳ. 13
Corythallia. 134
Educare & tollere, diverſa. 73
Eduſa. 23
Expoſita monſtra. 81 94. *interdum benè nati.* 81
Expoſitio infantum. pio modo adminiſtrata. 82. *Locus.* 88. *Inſtrumentum.* 85
Eugeria Dea. 18
Fabulinus Deus. 121
Faſciæ. 98
Faſcinum. 160
Fluonia Dea. 18
Fœcunditati cuſi nummi. 133
Fortuna Genitalis Dea. Fortuna natalis Primigenia. 30. 46
γενέσια & γενέθλια. 172
Genethliaci. 52
Genethliacum feſtum. 171
Genethyllis Dea. 14. 19
γενέθλιοι Θεοὶ. 51
Genita Mana. 14
Genitales Dii. 51
Genius. 40. 42. 43. 44. 178
Geruli. 117
Haſtæ Lucinæ conſecratæ. 28
Hecate. 14
Hodie nate ſalve. *Formula gratulationis in Puerperio.* 61
Horoſcopi. 52
Ilithyïa. 25. 26
Incunabula. 99. 100. 111
Indigetes Dii. 51
Infans ab infando. 32
Intercidona. 54
Involucra infantum. 97. 98
Ius Trium liberor. 5. 6
Lallus Deus. 116
Lares. 47
Lavabatur infans, ſale. 63. *Aqua.* 63. *Oleo.* 65. *Vino.* 66. *Rore & nive.* 66
Lavabatur in clypeo, alveo &c. 67
Lavabantur Puerperæ. 127
Lecticis gravidæ vectæ. 12
Lectus Genialis. 54
Lectus adverſus puerpera-

perarum. 55
Levana Dea. 73
Lilith. 158
Lucina parturientium Dea. 25
Ludi Natalitii. 176
Lupercis ſteriles offerebantur. 3
Luſtratio. 138. 149
Luſtricus dies. 130
Lyde in pyxide geſtata. 4
Mamma. 120
Maſculus boni ominis. 75
Medicina infantum. 162. 163
Mena Dea. 18
Menſa Iunoni propoſita. 131
Monſtra quomodo expiata. 94. 95
Mortuos infantes quomodo proſequebantur. 165. 168
Munera Natalitia. 128. 129. 174. 175
Mutini faſcinum. 1. 2
Naſci & ſuſcipi, diverſa. 77
Natales flebant Thraces. 58. 60
Natalis dies. 32. *Adoptionis.* 33. *Vrbium.* 33. *Navigationum.* 34. *Regum.* 34. *Conſulum.* 34. *Martyrum.* 35. *Deorum.* 36. *Calicis apud Chriſtianos.* 36
Nativitatis terminus. 37. 38
Neptunus Genethlius Deus. 53
Nixii Dii. 24
Nomen quo die impoſitum. 150. *in eo ritus varii.* 151
Nomen quotuplex variis. 157. 153
Nominalia. 149
Nox Genitalis Dea. 30
Nundina Dea. 136
Nutrix. 112. 113. 116
Obſtetrix. 109. 110. 111. 112
Opigena. 27
Οφθεια. 130
Ornatus puerp. 21. 22
Palmam tangebant parturientes. 24

Papa

Papa cibus puer or. 121
Papa pro Patre. 119
Pappi ſeu Pædagogi. 120
Parcæ tres puerperarum. 53
Partula Dea. 53
Pileus naturalis infantum. 111. *de eo ſuperſtitio.* 111
Pilumnus. 54. 56
Planetæ an aliquid ad nativitatem conferant. 49. 50
Planetarii. 52
Poſtverta Dea. 16
Potinna. 123
Prænomina an fœminæ & ſervi habuerint. 155
Primogenitura gemellarum. 39
Profeſſio puerorum. 155
Proſa Dea. 16
Puerpera. 31
Purgatæ Puerperæ à peccatis per ſacerdotem. 142
Res turpicula. 159
Rumina Dea. 115
Sarcophagus. 168
Sentinus Deus. 19
Statina Dea. 72
Sublatio infantis. 72
quo ritu facta. 74
apud quos in uſu. 76
Suggrundarium. 166
Sylvanus Puerperæ inimicus. 53.
Tata. 120
Τεσσαρακοστὸς. 139
in Terram infans ſtatutus. 71
Terræ Matres. id eſt: Obſtetrices. 74
Tibiarum uſus in Funeribus. 60. 169
Tollere pro generare. 73
Tutelares Dii. 51
Vſabrenſis lacus. 89
Venus Genetrix. 8
ex Via Appia liberi petiti. 94
Virgæ Natalitiæ. 134. 135
Vitumnus Deus. 19
Vota Iunoni Lucinæ. 27
pro infantibus. 164. 165
Vte-

Vterina Dea. 19
Zona Gravidarum in templo Dianæ ſoluta. 12. *& à Primipara Dianæ ſuſpenſa.* 13

Errata graviora ita corrige.

Pag. 87. lin. 14. lege: Quemne. Pag. 97. l. 7. & 15. ablotus. Pag. 105. l. 5. nutricali. Pag. 121. l. 1. Laliſiones. Pag. 136. l. 12. & *Plutarcho*. Pag. 154. l. 6. eligebantur.

F I N I S.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE LYON

EE